X x V
34

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
E
84

XXV
E.
84.

Digitized by Google

Digitized by Google

Scan. 44. num. 2 l. 1. 29. inf.

Scans. 19. n. 34. Sup.

Digitized by Google

DE MAGNANIMITATE DEQ. HEROICA VIRTVTE DIALOGISMI

DON PETRI CORSETTI.



BIBLIOTH ... CAPUCCINORUM ... NOV

Della Concett.e de Capuccini di Napol.

PANORMI, Apud Angelum Orlandi, & Decium Cyrillum. M. DC. XIII.

Digitized by Google

DON PETRO GIRONIO
DVCI OSSVNAE
PRINCIPI OPTIMO, FORTISSIMOQ.

DON PETRVS CORSETTVS F.

TVIS ſub nomine, & tutela (Magnanime Hæros) Magnanimus, & Heros mei, cum calumnia, liuoreq. decertaturi deſcendunt in arenam. Decuit profectò virum fortiſſimum eis patrocinari, qui, arduum, fortitudinis obiectum, inſtar ſagittarij in ſcopum iaculantis, coniectare videntur: horumq. habituum idea, typuſq. cũ ſis, ecquem alium patronum exoptandum, credis? introſpicies, aliquando ſi eos lectitare non dedignaberis, virtutes tuas ampliſſimas, columnis interminatas herculeis, ceu paruo in vitro repercuſſas imagines, breui occludi papyro. Valeas, æqui, boniq. conſulas.

Digitized by Google

AD AMICVM.

DON PETRVS CORSETTVS.

DIALOGISMOS, quos, Octauios inſcribo (Amice candide) ſuciſiuas, ceu mauis, ſuffuratas horas dicito; quot enim, à peculiari munere abradi, tot politicis lectionibus inſumere, in meam abijt conſuetudinem. Multam propterea farraginem, in codice (penarium politicum nuncupare ſoleo) coaceruatam habui, à quo ſupellectilem mutuor ad vſum. Hos binos ſupra octuagintaocto, familiari, ad dialogiſmum, ſermone, concinnaui, vt liceret non inuenuſtè, miſcentem vtile dulci, inter ſpeculationes, diſputationeſq. multa alia, ex Hiſtoricis, & Poetis inſerere. Ariſtotelem, & Tacitum ſæpius lectitaui, quorum in euoluendis monumentis, omne me tuliſſe punctum, arbitrare, vnius etenim doctrinæ, alterius praxim adnexui. Tanquam exploratores, vt periculum faciant, hos Octauios micto, munus, penſumq. illis erit, poſt quam per manus volitauerint multorum, renunciare, ſiue hilari, ſiue triſti fuerint accepti vultu;

quo

quo aduſque etenim, ſe receperint incolumes, typis haud mandabo ſocios, ſed ſub puluinari, eos interim premam, ne dicam, in annum horatianum. Tuere, atque defende, ſi tamen emeritos iudicabis. Zoilorum ora comprime: Momos reprime linguatos: tuam cauſſam ages, omnia, nanque, amicorum communia. Vale ſoſpes.

Digitized by Google

Digitized by Google

OCTAVIVS ALTER
SIVE
DE VIRTVTE HEROICA

G. OCtaui per tempus advenio?

O. Ego commodiorem hominem, aduentum, tempus non vidi. opportunè te mihi, Gaſpar, in ipſo tempore oſtẽdis; optato aduenisti, & haud ſcio, alias opportunius.

G. Opinabar firmiter multum deſtinatæ horę effluxiſſe.

O. Laudabilis iuſtiſſimo, atque præclariſſimo deſiderio incenſa voluntas tua tempus anteit profectò, inquam, pernicioribus anteuolat pennis. Iam diurnas depoſueram curas, atque continuò quid hac nocte nobis obloquendum eſſet, cogitare occæperam; aſt cum circa multa vagatus fuerim, te pulſante, concrepuere fores.

G. Agnoſti tandem, quid tibi dicendum?

O. Adhuc meditabar; aſt ſi tu quidquam ad rem excogitaſti, quæſo, ne reticeas.

G. Haud pol: me quidem auditorem exhibeo: nec

tantum arrogem mihi, vt me copioſius, putem; quam te poſſe dicere: Vnum ſiquidem oratum à te mallem, vt quidquid alloqueris, id heſternis collocutionibus annectas, quaſi catenulam, hiſce ſermonibus contexere videamur.

O. Quod expetis, putas me exſecuturum, ſi de heroica virtute verba fecerim?

G. Qua via, id putas?

O. De magnanimitate heſterna nocte diſputationem habuimus, quam iuxta Philoſophi ſententiam, omnigenarum virtutum optimum, atque ſummum capeſſere arbitrati fuimus, ſimulatque, illius præmium, honorem, gloriamue eſſe cenſuimus: aſt cum vtrumque de Heroica uirtute affirmandum eſſe conſpexeris, aptiſſimè hancine ſermocinationem, primæ annecti poſſe dijudicabis.

G. Voluntati lubẽter aſſentirẽ tuæ, ni à politicis ad ethicos ſermones, hac via tranſitum facere videremur; nam etſi primò de magnanimitate (de qua in Ethicis habet Philoſophus) differentem te auſcultauerim, nihiloſecius rem omnem illam, ad politicam facultatẽ retuliſti, at ſi hoc idem, de heroica virtute verba facturus efficies, audire percuperem.

O. Peroptimè quidem, quod ab alijs valuiſſet obijci præoccupaſti, preripuiſtiq., ſed illud diluam a-

ctu-

Digitized by Google

ctutum. De moribus, deq. ſtudioſis habitibus agere, ſermones inſtituere, atque præcepta tradere, politici eſſe, nemo ambiget, qui optimè calleat eiuſdẽ munus eſſe, ſtudioſos reddere ciues. Inſuper de magnanimitatis habitu, circa magiſtratus aſſecutionem, ſiue fugam verſante verba fecimus, iure, ac meritò illius tractationem, problema inſcripſimus politicum; eademq. ratione de heroica virtute, oblocuturis nobis haud vitio vertas, ſi diſputationẽ illã politicis diſſertationibus, ad miſcuerimus.

G. Perge, vt occæpiſti, atque problema propone mihi.

O. Illud ſic concipies. Num dominationis tranquillitati conducat Principis curæ eſſe, ad virtutem heroicam dirigere ciues. Habes quo pacto, heroicæ virtutis diſputationem ad politicam facultatem referemus. dic ſodes eueniet ita? Vera volo loqui te, nolo aſſentari mihi.

G. Ita prorſus ingenuè arbitror: aſt vnum mentem cõtorquet meam, quod à prolatis abs te principium trahit, ne, ſcilicet arctior ſit inter has collocutiones neceſſitudo, quam par ſit: magnanimitatis, ſicut & heroicæ virtutis habitum, circa id, quod in omni virtute, eminens, atque ſublime dignoſcitur, verſari profiteris, proindeq. eamdem magnanimitatis eſſe, quam heroicæ virtutis

formam, & eſſentiam, dicere valebimus, atque tum magnificentiam, tum magnanimitatem heroicas eſſe virtutes cenſebimus, vtræque etenim honoris moderatam appetitionem, & habitum, quem liberalitatem nuncupamus, tranſcendere dignoſcuntur: at ſi aduerſus Peripateticorum ſcholam cenſueris, tu ipſe videris.

O. Haud quidem inſolentem proponis hæſitationem; aſt certo certius habeas, magnanimitatem, & magnificentiam, abſolutè heroicas virtutes minime reputari poſſe: enim vero magnanimum, atque magnificum, munus, penſumq. ſuum ſatis, ſuperq. abſoluiſſe dixeris, eoſdem mediocritatem, ſi coniectare agnoueris, & ſi heroico illo ſplendore deſtitutos conſpexeris. Dixeris propterea omnem magnificentiam, omnemq. magnanimitatem, haud heroicam virtutem appellari, ſed earumdem habitum, qui maxime fulgere, vel ad finem eminentiorem aſpirare, conſpiciatur; id ipſum tamen patebit luculentius. De Heroe itaque hac nocte nobis verba facturis præcipuè, atque in primis neceſſarium fore duxeris, nominis etymon perueſtigandum. Virorum doctiſſimorum, nonnulli dictos hæroes arbitrantur, ἀπὸ τῆς ἔρας, ideſt, à

terra,

Digitized by Google

terra, quod ſi admiſeris, mortales vniuerſos heroes appellaueris; à terra etenim omnes agnoſcunt originem. Aliqui, ἀπὸ τοῦ ἀέρος, hoc eſt, ab àère; quod ſcilicet heroum animæ, corporeis ergaſtulis ſolutæ moram ibi trahant, regionemq. Ethereaṁ incolant, vnde hæc inferiora ſpeculentur. Sunt, qui autument heroes, ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, nimirum à virtute nomenclaturam obtinuiſſe. Orpheus enim μητέρα τῶν ἡρώων ἀρετὴν λέγει, ideſt, heroum matrem, ait eſſe virtutem. Aliqui ἀπὸ τῆς ἐράσεως, quaſi à dilectione, ac deorum coniunctione nomen deducunt. Deos namque mulieribus iunctos, aut deabus viros, heroum genus procreaſſe nugantur. Plato heroum appellationem ab εἴρειν, quod eſt dicere, originem ducere cenſuit, ſcilicet, quod ſapientes Rhetores fuerint. Idemq. in Epinomide, inter deorum ordines quoſdam ſtatuit, dæmonibus àèreis minores, hominibus maiores, quos ἡμιθέους, appellat, de quibus cecinit Heſiodus.

Diuinum genus heroum cognomine dicti
Semidei.

Ad quod alludens Plato in Cratilo eoſdem altero parente deo, altero mortali genitos tradidit, quales antiquitas ſuos recēſuit Ercules, Dionyſios,

Æneas,

Æneas, Tyndarides, Æſculapios, Romulos, Ceteroſq. id genus innumeros. Hinc aliqui, eos dixere heroes, qui nec Dij, nec homines appellari valẽt, at ſimul vtriq; ſint. Nõnulli plus quã homines, minus quã Dæmones, eoſdẽ reputarũt: horũ ſententiam ſectatus fuit Iamblicus Pythagoricus, qui nouem numinum ordines commentus fuit: in primo viſibiles Deos collocauit: in ſecundo viſibiles: in tertio Archangelos: in quarto Angelos. in quinto dęmones, ſiue Genios: in ſexto Principatus: in ſeptimo Principes: in octauo Heroes: in nono Animas vita functas, craſſoq. corpore ſolutas. Heroes itaque ſupra hominum animas poſuit, quippe qui humanam tranſiliant conditionem: iuxta tamen Platonicorum dogma tum hominis illuſtri vita functi animam, tum ipſum hominem, virtutis amore flagrantem, ſupraq. humanam naturam eleuatum, dixeris: ſecundum Peripateticorum doctrinam heroes viros illuſtres, virtuteq. fulgentes eximia, reputaueris, qui ſupra mortalium conditionem, ſplendorẽ adepti, præclaram duxerint vitam, vel ea functi, per hominum ora celebri fama circunferantur: Platonicos, atque Peripateticos attamen, in hanc ire ſententiam conſpexeris, vt heroes inter Deos, & homines locum ſortiri videantur, quibus & poëtæ aſſentiũt, qui & heroes

om-

omnes probos extitiſſe viros profitentur:

G. Poëtas namq; cũ Philoſophis cõuenire autumas?

O. Id ipſum ſi eorum carmina lectitabis inuenies, et ſi multis deliramentis, atque nugis circunſperſa: fabulantur etenim Atlanti ſeptem fuiſſe filias, à parẽtis nomenclatura Atlantides appellatas, peculiaribus tamen nominibus, Maiam Electram, Taygetam, Steropem, Alcinoem, Cęlenum, et Meropem: haſce tradunt, tum ab heroibus, tum à Dijs cognitas, Deos, exinde ob virtutem, & quos heroes dixere generis humani Principes peperiſſe: Maiam etenim ab Ioue Mercurium genuiſſe, commenti fuère, multarum rerum apud mortales repertorem: pariq. modo, & ceteras ſimiles edidiſſe fætus, præſtanti virtute conſpicuos, vrbiumq. conditores. Aſt omiſſis Poetarum figmentis, ceteriſq. Philoſophorum ratiocinationibus ad preſens inſtitutum appoſitè dixeris, heroæs ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, hoc eſt à virtute nominis etymon duxiſſe. De heroibus itaque nos verba facturi poëtarum nugas abijcimus; Ethnicorum deliramenta, Ægyptiorumq. ſomnia haud inſectamur; de his namque vtì de hominibus ſupereminenti, atque præexcellenti virtute preditis habemus, haud tibi diſplicebit, ſimul rem intellexeris.

G. Ad hanc de heroum probitate, eximiaq. virtu-

te

te ſententiam, meum lubenter aggregarem iudicium, ni Plutarchus de placit. phil. lib. primo cap. 8. ex Thaletis, Pythagoræ, Platonis, Stoicorumq. placitis, bonos, & improbos heroes renuntiaſſet.

O. Memoriter memini, hoc idem in Plutarcho me lectitaſſe, atque ſimul aliquos offendiſſe ſcriptores Plutarchum carpentes, dijudicanteſq. omnium aſſenſu, heroes efferatis, improbiſq. hominibus opponi: aſt in hoc immorandũ haud quidem cenſeo, immo te monitum eſſe mallem, à noſtris ſermonibus eliminandas prorſus eſſe pòëtarum nugas, Ægyptiorumq. abſcondita, iuxta enim Peripateticorum opinationem, rem omnem exagitandam nobis oppurtunum eſſe duxeris, quibus firma conſiſtit ſententia, viros ſumma probitate, ac eximia virtute conſpicuos, heroes appellandos; eos tu dixeris, qui adeo virtute excelluere ceteros, vt rationi penitus appetitu mancipato, in eo vitæ genere ſplẽduerint, quo humanam conditionem, inſtar ſeparatarum ſubſtantiarum tranſcenderint. Hinc Pòëtarum figmenta, Ægyptiorumq. nugæ fluxere; heroes, nempe, ex humana, diuinaq. natura conflatos, affirmantium: ob morum etenim conſpicuam probitatem, diuinitatem quãdam præſeferentem, atque humanæ appetitionis, cum recta ratione harmoniam, inter deos immortales,

tales, hómineſq. caducos, eos collocandos duxere. Hac ratione græcorum vatum princeps, ſuos Agamennones, Achilles, Hectores, ijſquè ſimiles, herois nomine decorauit. Ex his itaque, iuxta Academicorum placita, heroem hominem dixeris, excelſi atquè ſublimis ingenij, in quo pene vniuerſa, tum interna, tum externa, adeo recta compoſitaue conſpiciantur, vt omnigenarum virtutum habitibus decoratus incedat, ſumma morum integritate, ac vitæ ſanctitate refulgeat, atquè ſplendeſcat, diuino numine afflatus diuinas inſpirationes aſſequatur, à terrenis, craſſiq. corporis affectibus euulſus, animo illuſtratus, idoneus potenſq. ad res ſupra naturam capeſſendas, ſibiq. immortale nomen, ſolidamq., peremnemq. gloriam comparandam, honores propè diuinos aſſequendos, reddatur.

G. Horũ ſentẽtia eò iacula dirigere videtur vt quãdoque mortalibus, ad diuinitatem pateat acceſſus.

O. Ita profectò, ſed haud viribus proprijs, id poſſe aſſequi opinantur: audias illius ſcholæ Iamblicum. Anima humana, & vna ſpecie comprehenſa eſt, & à caduco corpore nimium obumbrata, ideo nullam habeat ad diuinum opus potentiam efficacem: ſi quando verò videmur tale aliquid quodammodo poſſe, ſolum

id agimus illuſtratione diuina deſuper influente, per quam, & actionis diuinæ uidemur eſſe participes: ſi opera diuina fierent ab anima ipſa, natura animæ, & virtute propria, anima virtutis, & prudentiæ compos, vel etiam omnis anima faceret; nunc uerò nec omnis anima facit, & quæ perfecta videtur anima, ad diuina adhuc eſt imperfecta: non igitur anima, ſed diuinitas ipſa cauſſa eſt operum diuinorum. Idemq. Philoſophus paullo ſuperius deprompſerat, hominē, aut hominis aliquid, vltra terminos ſuos ad diuinas operationes haud quidem progredi valere: ſentit enim naturæ conatibus, hominibus ad diuina minime dari acceſſum; ſimulq. credit eorumdem animos diuinis inſpirationibus illuſtratos, ſupra humanam conditionem res perficere poſſe, quos tamen adeo imbecilles atque hebetes reputat, vt nullum propriæ imperfectionis fulcrum obtinere valeant, niſi illud deſuper accedens conſequantur. Aſt diuinos afflatus, ſupernaſq. illuſtrationes prætermittentes, de homine in ſimplicibus humanæ naturę uiribus conſtituto, ſermonem habebimus.

G. Ex prolatis abs te verbis, coniectare mihi licebit, reliquum haud quidem eſſe, quod de heroe obloquamur: pòëtarum namque commentitias ratiocinationes prorſus reijcis: Ægyptiorum myſte-

myſteriâ haud admiĉtis: Platonicorum de heroum diuinitate, ad præſens inſtitutum, minime conducere arbitraris; quid tandem, quæſo?

O. Amabò, per omnia hàud quidem digreſſus es: iuxta Peripateticorum opinationem me poſſe loqui exiſtimas, conabor obnixè de heroe, deq. virtute heroica, ſecundum Ariſtotelis mentem verba facere, gaudes ne? cum non eadem omnia, æque omnibus ſuauia ſint ſcitu.

G. Vt qui maximè, ſummumq. beneficium debuero tibi. Credideram vnum idemq. in hoc Academicos, atque Peripateticos ſentire, ideoq. Ariſtotelem poſthabui, quod vitio ne vertas, ſupra etenim, tu ipſe hoſce philoſophos conuenire deprompſiſti.

O. Ego ne?

H. Ita penitus, tu ipſe.

O. Somnias; at diuinat animus, quia ſcilicet à me habueris Platonicos, & Peripateticos iam fædus inijſſe, heroes inter Deos, homineſq. conſtituentes. ita ne?

G. Prorſus exiſtimes.

O. Huc propterea aduertas animum. Equidem hæ Philoſophorum ſectæ, & ſi inter vtramque naturam, diuinam ſcilicet, & humanam heroes locum ſortiri, profiteantur, attamen in eo maxime

diſſentiunt; vt Platonici diuinæ naturæ participes fieri poſſe autument: Peripatetici verò ad diuinas functiones accedere minime valere doceant, idq. ſi diffuſius audire cupis, intelliges actutum.

G. Iſthoc me facto tibi arctiſſime deuincies.

O. Ariſtoteles de heroica virtute verba facturus, hac ratione diſputationem exorditur. Tria, inquit ipſe nobis penitus euitanda, in quibus omnē aberrationem circa mores conſiſtere autumat malitiam, nimirum, incontinentiam, & immanitatem; iſthæc enim morum probitati opponi ſatis, ſuperq. conſpicuum extat: eorundemq. ſanctitatem conſtituere rationem practicam, in qua refulgeat Prudentia: electionem, bonos namque mores ab electione, potius, quam ab operatione trahere principium habebis: rectitudinem rationis, electioniſq.: demum operationem ipſam electioni, rationiq. conſonam, qua deficiente, neminem ſtudioſum reputaueris, quemadmodum, nec aduerſa valetudine laborantes, medicorum præcepta, quamuis auſcultantes, haud vero obtemperantes, recte valituros opinaberis. Omnem itaque circa mores aberrationem, vel ob rationis, electioniſq. carentiam prouenire, vel ob earundem inopiam promanare, aut ob operationis defectum rectæ rationi electioniq. parum conſonæ origi-

originem trahere, diiudicaueris: ſi quempiam in primo conſiſtere videbis, eundem immanem, ac ferum dixeris: efferati etenim homines vtroque deſtitui credas, nimirum ratione, & electione, effreni nanque impetu quodam, nullis circunſcripto repagulis, in improbas quaſque pertubationes efferuntur, præcipiteſq. ruunt, vno verbo rem eloquar, homines rationis, mentiſq. compotes in brutas animantes tranſire videntur; inde in homine ſubrepit immanitas, atque feritas: ſi quis vero in altero ſe habeat, eumdē in malitia verſari reputaueris, hęc iudiciū peruertit, atque in practicis prīcipijs mentitur: ſi quis demum in vltimo reperiatur, incontinētem illum dixeris, quippe qui et si de agendis recte dijudicet, recteq. eligat, propriarum tamen perturbationū agitatus æſtu, in ſtudioſa actione deſidem ſe prębet, parumq. conſtantem ſe exhibet. Malitiæ, ſiue vitio, virtutem; incontinentiæ, continentiā; immanitati heroicū habitum, opponi arbitrātur Peripatetici: heroicam namque virtutē in homine dari poſſe affirmant. Homeri teſtimonio cōprobat Ariſtoteles, Hectorem græcus vates, haud mortalē videri, ſed à dijs genitū cecinit. Id ipſum aliorū ſentētia, ob ſummā virtutē homines ad diuos relatos affirmantiū aſtruit. Penes itaque mortales, citra diuinæ naturæ cōmunicationē,

heroi-

heroicam virtutem reperiri poſſe, ex Ariſtotelis colligas doctrina; idq., ſi libuerit, comprobare valebis. Humanum animum, inter ſuperiores ſubſtantias, ſimul & diuinas, interq. animantes mente, rationeq. carentes, medium dixeris, atque diuinorum per intellectum, ſenſibilium per appetitum, eumdem participem fieri profiteberis. His poſitis, audebis audacter affirmare, ſenſitiuæ portionis affectiones, vſque adeo vitiari poſſe, atque corrumpi, vt aliquando homo immanis belluę formam gerere videatur, iterumq. argumentaberis, rationis portionem, in homine omni ex parte ſupra communem conditionem perfici poſſe, vt idem ſeparatis ſubſtantijs, per quam ſimilis habeatur, rerum etenim ordo, hoc ipſum expoſcere videbatur, vt medium inter duo, vtrumque extremum attingere videretur; proindeq. dicere haud dubitabis, in humana natura aliquid reperiri, quo, id, quod ſuperius eſt, comprehendat, atquè aliquid, quo ad inferius deprimatur, & demum aliquid, quo circa medium verſari conſpiciatur. Priori, heroem noſtum, alteri feritatem, hominemq. in belluam conuerſum: vltimo virum iuxta modum communem ſtudioſum, aſcribas. Ex Peripateticorum placitis, in mortale, virtutem heroicã reperiri poſſe habuiſti. Quid quaſſas caput?

G.

G. Suſpicaris forte.
O. Haud equidem.
G. Tu ipſe puta: inſinuas nempe iuxta Ariſtotelis opinationem, hominem naturæ diuinæ participem fieri poſſe; cum aliud alias, te dicturum prædicaueris, atque Peripateticos, ab Academicis diſſentire, profeſſus fueris, & in ſimplicibus humanæ conditionis viribus proloqui præmiſeris.
O. Ego ne quidquam? alucinaris frater mi, ex Ariſtotele nuſquam, hoc aſſerui, habuiſtin Philoſophi mentem? Is etenim Homeri teſtimonio in homine dari poſſe heroicam virtutem probare credit, at Hectorem diuinæ naturæ participem, haud ille conſtituit, ſed virtute quadam eximia, cõmunem excedente decoratum, lumineq. quaſi diuino illuſtratum exhibuit; iſtoc planè, ex eodem Philoſopho comprobabis, nam ſi in diuinam conditionem translatum Hectorem is conceſſiſſet, vtique penitus illius corrueret argumentatio, teſtimonio ſcilicet Homeri heroicam virtutem inueniri poſſe in homine, Hector enim non amplius inter homines, ſed inter diuos haberetur. Idipſum patet maxime, cum Philoſophus deos fieri homines, ex aliorum opinatione profiteatur; his etenim verbis vti, Argiropolo, Petro Victorio, & Acciaiolo interpetribus, Philoſophum vides, quemadmodum

Digitized by Google

modum, Aiunt, & ſicut dicunt, ideoq. hoc conſilio, à me ſæpius inculcari particulam illam,quaſi, cum de diuina virtute heroum verba facere opus habui, auſcultaſti, vt oſtenderem, haud diuinitatem in heroe reperiri poſſe, me cenſuiſſe, his, ſcilicet, vſus verbis, vt virtutem in eo eximiam, ſupereminentem humanamq. conditionem tranſcendentem, diuinitatemq. quaſi præſeferentem, indigitarem. Quis namque virtutem ſeparatis ſubſtantijs tribuat? Audias quæſo Ariſtotelem, cuius verba iuxta Petri Victorij tranſlationem lubet tranſcribere: quemadmodum etenim beſtiæ, feræq. animantis non eſt neque vitium,neque virtus,ita neque Dei: verũ hæc quidẽ quiddã honorificentius eſt,quã virtus:hæc verò aliud quiddam genus vitij immanitas, & heroica virtus limites excedit communes, illa quid proteruius vitio,hęc quid auguſtius, & præſtantius virtute. In ſeparatis itaque ſubſtantijs non eſt virtus; ergo nec in heroe, ſi illum in earundem naturam transfundi, aliquando cenſuerimus. Virtutem potius heroicam,ex ceterorum excellentijs conflari, quemadmodum Academicorum ſententia, cælum ex elementorum perfectionibus conſtare dicitur, dijudicabis, eamq. ad reliquas eamdem obtinere proportionem, quam, ad quatuor elementa cælum: virtu-

virtutem regiam propterea, eam appellari vides; vt ſicut regẽ ceteris omnibus virtute præſtare deceat, ita heroicã ceteras virtutes anteire oporteat.

G. Satis, ſuperq. diſerte locutus es, teneoq. quam inſiſtas viam; aſt quo pacto in ſubſtantijs ſeparatis, tam eximiam, tamq. eminentem virtutem inueniri indecorum arbitrandum ſit, effare quæſo; quid enim abſurdi, aut abſoni ſi contrarium profiteremur? Cupio hoc mihi pandas.

O. Aliquid habebis, & ſi longius daretur otium, expromerem cetera.

G. Dicito, perpurgatis dabo tibi operam auribus.

O. Enuntiabo breuibus quid ſentiam: pauliſper propterea animum attende, minime pænitendum excerpſeris fructum, monitum tamen te eſſe malim, rem omnem iuxta Peripateticorum ſcholam eſſe me prolocuturum.

G. Probo ſummopere, laudoq· inſtitutum.

O. Heroicam virtutem in ſubſtantijs ſeparatis haud reperiri ſi quis aſtruere mallet, diſputationem illam prælibare; num ea, ſcilicet, à virtute morali ſpecie diſtinguatur, opportunum eſſe conſpiciet: enimuero ſi negantium tuebimur partes, vtique ſubſtantijs ſeparatis heroicam virtutem minime, competere, ſicut nec ceteros morales ſtudioſos habitus, neceſſario diiudicabimus. Principalis

C diſce-

diſceptatio, in vtramque aurem ſuas habet argumentationes, atque rationes: nonnulli etenim heroicam virtutem, à moralibus habitibus ſpecie diſtingui, hiſce præcipue argumentis crediderunt. Primùm, namque rationi haud abſonum dixerunt, virtutem illam, ab alia ſeiungi, atque ſeparari; quæ ad diſtinctas nos dirigat actiones: at cum ciuilis virtus ad cõmunes, humanaſq. operationes diſponat, heroica verò ad eas capeſſendas,ad eamq. vitam tranſigendam, quæ caducam mortalium conditionem rranſcendere conſpiciatur, quæue diuinitatem ſapiat, nos dirigat, ideo heroicam virtutem, à quacunque alia, ſpecie ſeiungi, profitentur; ſine namque res differri ſatis, ſuperq. perſpicuum eſſe,autumant. Idipſum Phiſophi auctoritate confirmari credunt, is, etenim, magnificentiam, & liberalitatem, habitus ſpecie diſtinctos appellat,etſi vtriuſque forma,eadem in materie verſari, nimirum circa ſumptus, ſolumq. in paruo, & magno differri conſpiciatur; quod in virtute heroica,ceteriſq. moralibus habitibus euenire affirmãt,ea etenim per exceſſum, atque eminentiam, ad alias ſe habet virtutes. Præterea id ipſum ex oppoſitorum conditione aſtruunt: vitium etenim, vt ſupra iam oſtendimus, virtuti opponitur morali, heroicæ vero immanitas; ſiue feritas;

at ſi

at ſi iſthec oppoſita, ſpecie diſtingui fateri cogeremur, vtique habitus, quibus opponuntur: enimuero, vt fera ſe habet ad hominem, ita ad vitium feritas, at feram, & hominem ſpecie non diſtingui nemo inficias ibit. Inſuper feritas, & vitium ſeiuncta, quia diſtinctas obtineãt functiones, reputãt, cũ à feritate penitus explodatur ratio, à vitio eadem ſolum peruertatur. Haſce præcipuas habebis argumentationes, ſi heroicam virtutem ab alijs habitibus diſtingui affirmare malueris; at ſi contrarium ſentire tibi libuerit, atque ſupra relatam diſtinctionem explodere, perq. magis, aut minus hos habitus tantum differre profiteri, hiſce rationibus vtere. Finem, vtriſque eumdem aſcribas, nimirum ſummum ciuile bonum, atque inde heroicam virtutem ab alijs haud diſtingui inferas, illa tantum exactius, firmius, auguſtius, finem illum attingit, quod, equidem, ſpecie hos habitus ſeiungi minime affirmat. Præterea, ſi vnam, eamdemq. definitionem, vni, atque alteri attribueris, vtriuſque ſcilicet habitum eſſe prælectioni adiunctum, in eoq. perturbationis ſubiectæ moderamine poſitum, quod vitæ generi, ſuoq. fini accomodatum apprimè cenſeatur, idem concludere valebis: nam etſi finis, viteq. genus aliquando diſtinguatur, non ideo habitus formam, neceſſa-

 riò

riò diſtinctam arbitraberis,cũ eamdem in vno quoquè ſeruari poſſe ſatis, ſuperq. compertum ſit: atque in primis in Temperantia, quam habitum, tum viri contemplantis, tum ciuilis dicere valebis; ea etenim, quamuis ad fines diſtinctos relata, diuerſam exquirat moderationem,haud equidem illam propterea ſpecie differre affirmaueris, cum perpetuò geometricum, peculiaris vitæ generi accomodatum, conіectet medium. His itaque, heroicam virtutem ab alijs ſpecie minime diſtingui, ſed ſolum rationis termino ſeiungi, vnde cõgruens deſumatur analogia, apte inferre valebis. Idq. omne,rurſus argumentatione hac ſatis dilucida cõ probare poteris: viros nãque heroes, aut alia fortitudinis, magnanimitatis,ſiue iuſtitiæ forma, dici, quã ea, qua ciuiles homines ſtudioſi habentur, diudicabis, vna etenim, eadẽq.& heroes,& ſtudioſos viros, conſtituit. Audiſtin' quibus armis te munitũ, quibuſq.machinis te inſtructũ reddes, ſiue vnã, ſiue alterã, tutandam ſuſcepe ris ſententiã, tuæ ſit optioni, quam maluetis amplexati; conſultius tamen efficies, neutri ſi te addices: poteris namque litẽ, hac præhabita diſtinctione, ad cõciliationem reducere: aliquid nempe, ſpecie diſtinctum dici dupliciter poſſe, aut per interna principia, ad rei eſſentiã pertinentia, vt leonem diſtinguis ab equo; aut per externa, atque per accidentia materiam ipſam reſpi-

tientia,

ſcientia,vt æthiopē,à Scytha,Marem,à femina.Rurſus & aliud præmiſeris, heroicam ſcilicet virtutē, duplici modo vſurpari poſſe, vel pro habitu diuinitus infuſo,inſpiratoq. vel pro ſtudioſarū actionū ſplendore,humanarumq. virtutum fulgore.His iactis principijs,hæc tria inferre poteris,primum,vt ſi diuinos, & deſuper infuſos habitus heroicæ virtutis appellatione,comprehendi tibi placuerit,vtique errore haud quidem duci videberis,ſi heroicā, à ceteris virtutibus moralibus ſpecie diſiunctā, affirmaueris:cōſpicuum id ſanè,cum definitio, nanciſcendi ratio,atque finis proximus,penitus diſtincti cenſeantur.Secundo vt ſi heroicam virtutē,pro humanarū habituū ſplendore aſsūpſeris, tunc eādem ab alijs,per externa tamen,ac accidentia,diſtinctam reputaueris,cōditiones attamen,affectiones,earumq.accidētia,vtriſque aſcripſeris. Tertio, vt quatenus moralis,& heroica virtus ad eumdem finē,ſiue ad plures diſtinctos ſubordinatos conſpirant,tūc ſpecie intrinſecus,atquè per eſsētiam, eas haud diſiūctas dijudicabis,id tamē per magis, aut minus,cla rius,vel obſcurius:ſubordinati nāque fines rationē vnius obtinēt,cū ad vnū tandē poſtremū, atquè vltimū quieſcant ſcopum. Hac ratione inter contrarias opiniones ictum fœdus conſpexeris, ſimulq. ad rem noſtram inferre valueris, herois noſtri habitum eſſentia,à virtute morali haud

dici

diu ſeiunctum,ſed per externa potius quædam,atque accidentia, quatenus illuſtrius, obſcuriusuè, ad vltimum finem,hoc eſt ſummum bonum à Peripateticis cognitum perducit, ac dirigit vtriuſque habitus; proindeq. heroicam virtutem pro humanorum habituum ſplendore vſurpaueris. Si itaque heroicam à virtute morali haud diſtingui ſpecie firmaueris,eamdem,ſubſtantijs ſeparatis iuxta Peripateticorum doctrinam minime tribueris.

G. Pol,id quidem experior,ita eſſe vt prædicas,aſt prius quam vlterius progrediaris, rationum pugnantium conciliationem abs te audire percuperem: rogo atquè oro, ſi commodum eſt, da mihi paululum operæ.

O. Vel multum, operæ non parcam meæ: imperabis imperator, quod potero, quod voles.

G. Loquere, aures meas profectò dedo in ditionem tuam.

O. Ad rem me accinctũ præbeo. Virtutes ſpecie diſtingui,finium inter ſe diſtinctorum ratione cenſeo,qui ſi ad vnum,eumdemq.,ſiue ad plures,vni tamen ſubalternatos dirigantur, ſecus arbitror. Cum itaque heroicam virtutem, pro habitu ad eumdem finem, vel ad plures, vni tantum ſubalternatos contendente, hìc vſurpandam cenſuerimus, ad quem & moralis, ad ſummum bonum

ſcili-

ſcilicet, variatis, per magis, & minus ſolum accidentibus, iure, ac merito, argumentationem de finium differentia, haud quidem noſtræ ratiocinationi officere conſpicies, nimirum heroicam virtutem à morali minime diſtingui; ſcrupum etenim contrarij penitus euitabis, ſi heroicam virtutem fine, ab reliquis habitibus haud ſeiungi dijudicaueris; vna namque & ceteri ad ſummum ciuile bonum anhelant, auguſtius, atque ſplendidius tamen illa, quam reliquæ morales virtutes: eodemq. fundamento alijs argumentationibus factum ſatis iri, videbis: cum etenim ſeiunctos hos habitus dicebant, vt puta quia diſtincto vitæ generi cōgruere deducebatur: ijs occurras, diſtinctionem illam, circa conditiones, atque gradus reponendam eſſe, eumdem nihilominus finem, ſcilicet ſummum bonum ciuile omnes coniectare, affirmandum. Inſuper quod de magnanimitate, & magnificentia ex Ariſtotele arguebatur, nimirū ſeiunctos hoſce habitus eſſe, id profecto haud ab eſsētia, ſed potius ab accidentibus prouenire, arbitraberis: quod maxime comprobare poteris, ſi omnem magnificum liberalem dixeris, vt ipſemet fatetur Philoſophus, hoc tamen conſilio habitus ſeorſim explicans, vt populari captui ciuiles ſermones adequati cenſerentur: quemadmodum in heroicæ virtutis tra-

ctatione

ctatione obſeruatum iri conſpicis; Philoſophus namque, ab alijs morum habitibus, de ea ſegregatam habuit commentationem. Demum argumentum vitij, & feritatis naturæ diſparis euitabis, ſi cum Philoſopho prorſus aliam maiorem diſtinctionem vitio, quam virtuti conuenire reputaueris: vitium namque infinitum, virtus finita, illius enim aberratio multiplex, huius rectitudo circa vnum, medium ſcilicet: & licet feritas rationem penitus explodere videatur, vitium eamdem ſolùm peruertere, illud tamen commune vtrique, nimirum rectam rationem obruere, atque deturpare. Hæc ſatis arbitror.

G. Impleuiſti expectationem meam, eriſq. deinceps mihi, & propter facilitatem tuam charior, & propter doctrinam venerabilior.

O. Habes vſque huc, heroicam virtutem, à moralibus habitibus ſpecie minime diſtinctam, proindeq. indecens, atque indecorum cenſendum in ſubſtantijs ſeparatis eamdem reperiri: enimuero, quemadmodum ceteros morum habitus penes eas eſſe haud dixeris, ita de heroica profitendum eſſe cenſueris: hos namque hiſce rationibus præcipue, eis non competere dijudicabis. Primam aſtrues. Circa iuſtitiam, magnificentiam, ſiue fortitudinem verſantes operationes, humanæ ſunt, vt

pote

pote quę iuxta res,ad homines pertinentes circunducantur ; at ſi ita , nemo, horum habituum operationes , extra conditionem humanam dixerit. Rurſus : virtutes ipſas, earumdemq. actiones pleraſque , ex corporum compactione, atque temperamento promanare experimur, cum pro corporum diſſimili conſtitutione , alij , ad iuſtitiam, alij, ad temperantiam, alij, ad magnificentiam, alij, ad fortitudinem , propenſiores, atque procliuiores reddantur. Sic ita prorſus morales habitus, à ſeparatis ſubſtantijs remouebis, quippe qui corporis temperamento, ac humorum conuenientia penitus careant. Hinc Platonicorum Princeps Plotinus lib. 2. Ennea. prim. de virtutibus, dum diſputationem illam exorditur, quo pacto, nimirum nos ſimiles Deo fieri per virtutes dicamur, ait, Sane probabile eſt nos hic viuentes, huic ſcilicet , Deo ſimiles fieri forte vero primò ambiguum eſt, num huic omnes ad ſint, hoc eſt virtutes, veluti temperatum, ac fortem eſſe, cui nihil terribile eſt, nihil enim ab externis accidit, neque accedit, iucundum quicquam, cuius cupiditas laceſſat, abſente illo, ad hoc vt habeat, vel apprehendat, ſi autem, & ipſe, intelligibilia ſic appetit, vt & animæ noſtræ: patet nobis quoque inde decus virtuteſq. cõ-

tingere. Nunquid & ipſe has habet? forte non probabile eſt, virtutes ciuiles habere, videlicet prudentiam circa vim conſultandi: & fortitudinem circa iracundiæ impetum: temperamentum verò in conſenſione quadam, & concordia naturæ concupiſcentis ad rationem: iuſtitiam prĉterea propriam vniuſcuiuſque horum actionem, in eo quod eſt ducere, atque duci, conſentientem. Hæc Plotinus. Demum morales habitus magnam cum perturbationibus cognationē habere dignoſcuntur, cum illis in ſedandis, atque moderandis munus abſoluant proprium, teſte Philoſopho lib. 10. Ethic. cap. 8. at perturbationes animo inſitas, humanas reputaueris, ſimulq. humanæ, ex animo, & corpore conflatæ naturæ, non diuinæ congruere, dijudicaueris: paſſiones etenim animales, vt iræ, timores, & id genus, ab ipſa anima mouente in compoſito, & ab ea determinate agēte fiunt. Simplic. in primo de anima contex. 14. atque cum commutatione, & alteratione factĉ corporeĉ ſunt, & ex corporis diſpoſitione pendent, Ariſt. lib. 1. cap. 1. de anima ait. Videntur autem, & omnes affectus animæ cum corpore eſſe, ira, manſuetudo, timor, miſericordia, confidentia, gaudium, denique amor: nam vna cum his, ipſum corpus aliquid patitur, idq. ratione comprobat Philoſophus

phus inquiens. Quod quidem ita eſſe ex eo patet: interdum enim non iraſcuntur, neque timent, etiam ſi vehementes ipſis manifeſtæue cauſſæ ſe offerant: interdum à paruis quibuſdam mouentur, atque exiguis, ſi feruet, concitaturq. corpus, & perinde ſe habet, atque cum afficitur ira. Hoc magis tibi manifeſtum fiet, cum non nulli nulla re penitus accidente, quæ quidem poſſit terrere, nulloq. imminente periculo, vt ij, qui metuunt, perturbantur, ac afficiuntur timore, quę ſi ita ſunt, patet affectus rationes eſſe materiales: quare & diſinitiones ipſorum tales ſunt: Paſſiones etenim in compoſito verſantur, quod ex corpore, & anima coaleſcit, quinimo perturbationes inſtrumenta virtutum dixeris.

G. Perturbationes ne dixerim virtutum inſtrumenta?: eæ potius prauæ, & vitioſæ ex falſo, deprauatoq. iudicio ortum habentes, videntur: aliquando etenim me lectitaſſe in Philebo Platonis memini, perturbationes omnes, cum voluptate, & dolore permixtas eſſe, voluptatem nimirum, & dolorem, quos amentes, & inſipientes conſiliarios idem Philoſophus in primo de legib. appellat, à quibus vir ſapiens animum auertere curat. Perturbationes, inquam, ad virtutes inſtrumenta? quas motiones vehementes, ægritudines animi

aduerſas rationi, calcaria ad vitia Philoſophi dixere?

O. Stoici, addas: illorum namque ſectam hæc, quæ tu promis, redolent, propterea parumper patere, me obloqui, & paullo altius rem omnem exordiri. De perturbationibus illum habeas conceptum, vt omnino eas, ne dum inſtrumenta, verum etiam neceſſarias ad virtutes reputaueris, eaſdemq. ſeparatis ſubſtantijs haud competere poſſe. Virtus ſecundum Ariſtotelem 2. moral. ad Nicomachum eſt habitus præeligendi in mediocritate cõſiſtens, ad nos relata, rectaq. prudentiæ ratione definita. Piccolomineus Philoſophi definitionem his verbis latiorem reddidit, grad. 4. cap. 4. Virtus moralis eſt habitus appetitionis ſenſuum, natus præeligere, in ea mediocritate, quæ ad nos refertur, quæq. à prudentiæ habitu definitur, collocatus, comparatus more, vt felicitate ciuili fruamur. Vides moralem virtutem, ad appetitionẽ ſenſuum pertinere, vt à ſapientia, & ſcientia, ceteriſq. mentis habitibus, diſcreta cenſeretur, quæ etſi prælectionis habitus prædicetur, ad mentis appetitum profectò ſpectans, id tamen affirmandum, quia à præletione ſenſitiuus appetitus dirigatur, atquè perficiatur, proſequaturq. id, quod ratio, vel probauerit, vel reprobauerit. Hinc dixit Ariſtoteles

ſtoteles 8. lib. moral. ad Nicomach. cap. 13. pręcipuum virtutis, & moris in pręelectione poſitum cenſeri: media ſiquidem virtus eſt inter exuperantiam, & defectionem perturbationum, vitia in altero extremo; virtus perturbationes moderatur, cuius formam merito eſſe habitum ea præeligendi, quæ, à recta ratione decernuntur: materiem, perturbationes; principium efficiens morem, & aſſuetudinem; finem, actionem probam, & ſummum bonum, ex ea prodiens affirmaueris. Ariſtoteles 2. moral. ad Nicomach. aiebat, Habitus morales eſſe, quibus probè, vel malè, in perturbationibus afficimur: veluti ſi iraſcimur, ſi nimium, vel parum malè, ſi mediocriter probè circa iraſcibilem, verſamur: itemq. in ceteris idipſum, ſi principia, quibus coaleſcit in nobis virtus perpenderimus: fit namque moralis habitus more, & aſſuetudine; mos in perturbationum, ad appetitum ſenſuum pertinentium moderatione verſari conſpicitur: homo etenim fit temperatus, cum ad medium cupidinis affectiones coercet: temperantiæ namquè habitus ad concupiſcendi appetitum refertur: fortitudinis ad iraſcendi; & quemadmodum ſanitas in humorum conuenientia, pulchritudo in recta partium

diſpo-

diſpoſitione conſpicitur; ita virtutem in perturbationum moderatione cōſiſtere dijudicaueris. Addas demum Philoſophum 7. phyſ. cont. 19. traditum reliquiſſe habitum moralem oriri, cum aliquid alteratur in nobis, nam etſi, nec vitij, nec virtutis alteratio dici valeat, ea attamen ſemota, nec vitium, nec virtus gignitur. Ex his, perturbationes virtutibus præbere materiem, cum in illarum moderatione verſetur ſtudioſus habitus, probatum habeas. Stoici vero abnegarunt penitus: ij etenim non in ſenſuum appetitione, ſed in intellectu, ſiue voluntate reperiri virtutes credidre in ſenſuum appetitu ſolum habitus, quibus cum voluptate ad rectæ rationi obtemperandum propenſiores reddimur, reſidere putantes, hoſce habitus, non virtutes, cum moralis actionis perfectio in præelectione ſit poſita dixerunt. Intellectui tribuit ipſemet Ariſtotel. lib. 2. moral. ad Nicomach. cap. 6. Præterea cum virtutis obiectum, honeſtum quod eſt, cenſeatur, idq. non ad ſenſum, ſed ad mentem, & rationem referatur; virtus in ſenſu conſiſtere non poteſt, ſenſus etenim rem, vt delectabilem, non vt honeſtam appetit, ut docet Ariſtoteles 3. de anima cont. 29. Inſuper virtus in ratione conſpicitur, at ratio mentis eſt, non ſenſus. Rurſus id ipſum auctoritate Philoſophi primo

moral.

Digitized by Google

moral. cap. 7. comprobaueris, dijudicantis ſummum hominis bonum in actione homini propria collocatum cenſeri, proindeq. ad animæ rationis participem portionem pertinere, habuiſſe Philoſophum, fas erit tibi deducere: actionem etenim ex ſenſu profluentem feris, & brutis animantibus cōmunem, haud hominis propriam dixeris. Idem Philoſophus lib. 2. moral. cap. 4. ait. Quæ virtute aguntur, tria expoſcunt; ſcientiam, præelectionem, & conſtantiam, hæc ad mentem non ad ſenſum pertinere videntur: hinc antequam Ariſtot. de virtutibus ſingulatim verba faceret in 3. moral. de præelectione, voluntate, & libertate diſſeruit; quæ mentis profectò, non ſenſus reputaueris. Stoicorum fuit dogma, perturbationes non ad facultatem appetentem, ſed ad iudicantem pertinere, illaſq. iudicia, & opiniones credidit Chryſippus: & Cicero lib. 4. Tuſculan., ex ſententia Zenonis, Stoicorumq. aiebat. Sed omnes perturbationes iudicio cenſent fieri, ex opinione, itaque eas definiunt preſſius, vt intelligatur non modo quam vitioſæ, ſed etiam quam in noſtra ſint poteſtate: eſt igitur Ægritudo opinio recens mali preſentis, in quo demicti, contrahiq. animo, rectum eſſe videtur. Lætitia opinio recens boni preſentis, in quo efferri rectum eſſe videatur. Metus opinio impen-

dentis

dentis mali, quod intolerabile eſſe uideatur: Libido opinio venturi boni, quod ſcir ex vſu iam præſens eſſe, atque adeſſe. Hæc Cicero. Id ipſum experientia aliquando confirmari autumat: enimuero cum homo perturbationibus obſidetur, longe ſecus iudicat,ac perturbationibus immunis: vnde aliud emanauit axioma:ſapientem nimirum animi affectionibus vacuum debere eſſe, ac vice illarum pro cupiditate voluntatem, pro lætitia gadium, pro metu cautionem experiri. ægritudinem, ſiue dolorem in eo poſſe reperiri prorſus negabant: de quo habes latiſſime in Lactant. Firmian. lib. 6. cap. 15.Senec. de tranquill. vitæ, Cicero. in orat. pro Murena. Hæc ſunt Stoicorum placita,veritati profectò aduerſantia:materiem namque, & formam virtutis, ad eamdem animæ partem referas: forma etenim in alio, quam in ſua materie recipi haud patitur,at cum virtutum materia genus perturbationum cenſeatur, vt in ſuperioribus comprobatum conſpexiſti, ideo rectè morales habitus, non ad mentem, ſed ad ſenſuum appetitionem pertinere concludas: perturbationes namque,non mentis, ſed ſenſus dicuntur; etſi Stoicos in hoc contrarium ſenſiſſe ſupra retulerim: eorum falſam reputabis ſententiam, perturbationes iuditia, & opiniones affirmantium: nam etſi uis

cogno-

cognoſcens re, & ſubiecto eadem cenſeatur; quæ & appetens, ratione tamen ſeiunctæ videntur; quod Philoſophi auctoritate lib. 3. de Anima cõt. 29. comprobatum eſt; competunt propterea vni multa, quæ non alteri; facultatis namquè cognoſcentis obiectum iudicare, illudq. approbare, appetitionem excitare, eamq. dirigere munus erit: appetentis obiectum mouere, adq. illud aſſequendum, vel euitandum conatus impendere: facultas namque cognoſcens rem primò vt veram, mox vt iucundam, vel moleſtam, bonam, aut malam habet: at cum veram dijudicat, appetitum haud mouet, quod tamen aſſequi videtur, cum bonam, aut malam, iucundam, aut moleſtam apprehendit, nec tunc quidem abſolutè, ſed vti ad nos, ſiuè noſtra relatam: quibus non præcognitis, appetitio excitari minime poteſt. Has facultates ſimul ſtare iunctas iure factum dixeris; vis namque appetens ſuapte natura cæca, adeo vt niſi à cognoſcente moueretur, ac dirigeretur, nil proſequi, nil euitare poſſet: hinc cognoſcendi facultati, obiectum ſub ratione veri, vel falſi: appetendi, boni, vel mali, iucundi, vel moleſti tribuitur. Perturbationes itaque cum ad appetendi facultatem pertineant, eas propterea, opiniones, ſiue exiſtimationes,

ne dixeris. Audias quæſo Ariſtotilẽ 4. Topic. loc. 61. dicentem. Timorem, & iram in iraſcendi appetitu reperiri; voluptatem, & triſtitiam in concupiſcendi. Inſuper in appetendi facultate tria conſiderabis, facultatem nimirum, motionem, & habitum ex iteratis actionibus longaq. aſſuetudine obfirmatum: at cum perturbatio motio ſit, ideo iudicium, eam, ne dicito, cum non ad cognoſcentem, ſed ad appetentem pertineat facultatem. Aſt vt lucidior res fiat vniuerſa, atque vt aliquando controuerſias conciliandi occaſionem habeas, animaduertas velim. Duplici modo perturbationes facultati conuenire poſſe, primo ratione obiecti, et cauſſæ principalis mouentis, atquè excitãtis perturbationes ipſas, ſecũdo ratione ſubiecti, in quo perturbationes propriè forma ineſſe videatur. His libatis, perturbationes per ſimilitudinẽ, & metaphoram deſumptas, humanæ menti, ſeparatis autẽ ſubſtantijs per eminentiam, & per humanũ conſiderandi modum competere affirmare valebis: atſi proprie deſumpſeris perturbationes, eas menti, illiuſq. appetitioni, vt cauſſæ dirigenti tribuas, ad quam perturbationis obiectum pertineat, haud tanquam ſubiecto, in quo, poſtrema, veraq. forma reperiatur; hæc enim teſte Philoſopho in Prooem. de Anim. Sine corporis permutatione fieri

nequit.

nequit. Dixeris propterea viri continentis perturbationes ad iraſcendi appetitum pertinentes aduerſus cupiditatem, duce ratione pugnare, illiuſq. affectiones proſternere: in incontinente verò contra experieris, à perturbatione rationem, à concupiſcẽdi appetitu iraſcendi appetitum euerti. Hac via, multa Philoſophorum pronũtiata conciliabis, & Stoicorum ſententiam, quatenus perturbationes, vt in ſubiecto inſunt, exiſtimationes, & iudicia, dixere, eneruabis. At ſi progreſſionem, qua in nobis ſubrepant perturbationes, ſcire malueris, habeas, primò ſe nobis obiectum offerre, iniuriam dicas, ſiue aliquid ſimile, mouet illud ſentiendi facultatem, quæ excitata cognoſcit; cognitio vim pertingit imaginandi, quæ primò abſolutè obiectum, mox ſub apprehenſione boni, vel mali, iucundi, vel moleſti iudicat: obiecto poſtea cognito, ad adeptionem, vel fugam excitatur appetitus: mouentur exinde, atque permutantur ſpiritus, ac certo quodam modo corpus his afficitur: demum per imaginandi vim, vna cum appetitione, inſtrumenta motus diriguntur. Hinc definitionem perturbationum Peripateticam coaleſcere conſpicies; eſſe nimirum motum ſenſuum facultatis appetentis, atque cordis ſpirituum, ab obiecto, quod ex imaginandi vi, vel iucundum,

vel moleſtum, ſiue ad moleſtiam vitandam, ſiue ad iucunditatem fruendam nobis ſe præbet. Concludas propterea perturbationes, paſſiones, ſiue affectiones propriè ad appetitum rationis participem minime pertinere; docuère nos Ariſtoteles in Prooem: de Anima. Plato in Philebo. Cicero in 1. Tuſculan:

G. Optime quidem, at dic ſodes, ſenſuum appetitus vnus, idemq. erit.

O. Immo duplex in iraſcendi, atque concupiſcendi facultatem diſtinctus.

G. Probant ne hoc omnes?

O. Improbant nonnulli, aientes appetitum per affectiones diſtingui, at quia, quæ vni competunt, alteri conueniunt, ideo falſam arguunt ſuprapoſitam diſtinctionem: à rebus naturalibus aſtruunt argumentationem; vno nanque eodemq. modo in natiuam ſedem ferri corpora, ſimulq. ijs, quæ ipſorum motum impediunt, obſiſtere videmus, exemplum ſit in igne, qui eodem calore in aquam agit, & frigori repugnat; non diſſimili ratione, vnus, idemq. appetitus ad noxia fugienda, proficua ſectanda, contrarijs reſiſtendum ſatis, ſuperq. ſufficiens erit, & cum eadem vi noxia, & vtilia apprehendantur, eadem facultas appetens in vtrúque feretur: nullā propterea videri rationē profitentur,

tentur, quæ appetitum in concupiſcibilem,& iraſcibilem diuidere, nos cogat. Philoſophorum attamen communem ſententiam arbitraberis, ſenſuum appetitionem in duas potentias, re, quidem diſtinctas nimirum in concupiſcibilem, & iraſcibilem ſeiungi, de qua Ariſtoteles 1. moral. cap. 13. Plato lib. 4. de Rep.Ceteriq. Philoſophantes: eminuero ſicut in rebus alijs naturalibus corruptioni obnoxijs, non tantum, vim, atque propenſionem,ad conuenientia conſectanda,noxiaq. fugiēda, verum etiam ad contrarijs reſiſtendum, tribuimus, quod patet in igne, qui non ſolum vim, vt locum inferum deſerat, ad ſuperumq. euadat, obtinet,ſed etiam calorem,quo cōtrarijs obſiſtat, conſequitur: ita dicendum in ſenſitiua portione, duplicem dari vim, appetentem vnam, qua animal ad conſectanda ea, quæ conueniunt, eidemquè noxia deuitanda propenſior reddatur: alteram, qua aduerſantia propulſet, ijſq. obluctetur, quæ vtilia, ſalutariaq. remouent, vel quoquomodo præbeant obicem, cuius obiectum arduum, ac difficile erit, atque uim iraſcibilem nuncupaueris, illam vero concupiſcibilem: & inter vnam, & alteram, differentiam conſtituendam arbitraberis, vt illa bonum ſenſibile, quatenus tamen difficile, & arduum, dicatur.

Rur-

Rurſus idipſum aſtrues, ſi has potentias, haud in vna eademq. parte corporis reſidere affirmaueris, peculiarem namque ſedem, vtrique tribuère Philoſophi, Alcinous lib. de Plat. doct. cap. 37. iraſcibili præcordia, concupiſcibili locum prope diaphragma ſtatuit: alij iracundiam in felle, pauorem in corde, lætitiam in ſplene collocarunt. Galenus lib. 3. de loc. affect. & in lib. qui inſcribitur, quod animi mores corporis temperamentum ſequantùr; cupidinem in hepate, iram in corde reſidere arbitratur: Alijs vtramque appetitionem in corde reperiri placuit, Hippocrati, Zenoni, Poſſidonio, Chryſippo, Ariſtoteli, Theophraſto, ceteriſq. Peripateticis, quos Veſſalius recenſet: omnes etenim, ſiue cupidinis, ſiue iræ affectus in corde perturbationem excitare videntur, in eoq. mox ſentiantur, ſitq. cor omnium vitæ operationum fons, atque origo, perindeq. in eo appetitiones ad vitæ conſeruationem, periculorumq. propulſationem à natura collocatas, tanquam in regia credidère.

G. Videris profectò in hanc ire ſententiam.

O. Ita ſane.

G. Corruit igitur argumentatio illa, diſtinctam ſcilicet eſſe vim concupiſcendi, ab iraſcendi, ex ſedis diuerſitate deſumpta.

O. Haud equidem, etſi in corde vtramque repoſuerim

ſuerim, locis aliquantulum diſcretis, id euenire cenſeo : ira etenim caloris, & ſiccitatis affluentia gaudet, cupiditas verò humidi, & calidi exuperãtia oblectatur : ſed quid quid in hoc velis credere tua ſit optio: in eo etenim ad appetitus diſtinctionem comprobandam pedes non figam; alio profecto, hoc ipſum deducam argumento, quod in nobis metipſis experimur: reſpuente interdum cupidine, rebus triſtibus vacamus: bello inteſtino, ac domeſtico haſce duas potentias, manum conſerere, præliariq. ſentimus: concupiſcentiam quandoque iram frangere, iramq. plerumque aduerſus cupidinem arma ſumere, & modo vni, modo alteri victoriam ſtare.

G. Ego ipſe perſpicuè intelligo, req. ipſa experior.

O. Hæc omnia vna, eademq. vi, fieri cum nequeant, iraſcibilem, à concupiſcibile re diſtingui fatendum erit. Quot uero ſint affectiones, ſenſuumq. paſſiones ſi tibi ſcire iucundum erit, Platonem in Theeteto conſulas, multas eſſe, anonymas vero innumeras profitetur : Idemq. lib. 9. de rep. Hominẽ eſſe quaſi monſtrũ, & ſphingem quãdam, ex variarum animantium partibus conflatum, & cupidinis portionem eſſe latiſſimam dixerat. In Thimeo ſex enumerauit perturbationes, voluptatem nimirum, & dolorem, tanquam

præ-

præcipuas, quibus audaciam, metum, iram, & ſpem accedere reputauit. Et lib. 1. de legib. ait. Noſtrum quemlibet vnum dici, geminos tamen eſſe nobis amentes conſiliarios, voluptatem, ſcilicet, & dolorem, quibus timor,& confidentia futurorum obtinetur. Alij in quatuor gradus, affectiones, diuiſère; in gaudium, triſtitiam, ſpem, & timorem: at ſi diffuſius rem pertractatam malueris, legito Auguſtinum de Ciuit. Dei lib. 3. Ciceronem lib. 4. Tuſcul: quæſt. Boetium lib. 1. de conſolat. Philoſop. met. 7. Ariſtotelem lib. 2. Ethicor. cap. primo.

G. Peregregiè profectò; quamq. tui expectationem concitaſti, eamdem ſubſtinuiſti, ita aperte rem ipſam vniuerſam locutus es.

O. Comprimamus orationem tandem, at vt cognoſcant, qui mei fuerint conatus, quoue pacto datum penſum felicius confecerim, & ſi quæ de perturbationibus deprompſi in te linguæ ſcalpro ſcalpſerim, renuntia quæſo vniuerſa.

G, Actutum aſſequar. In hunc prolabi ſermonem, diſputatio profectò, num ſcilicet ſeparatis ſubſtantis heroicus habitus competere uideretur, te perſuaſum habuit; ab illa etenim quæſtione, heroicam virtutem, ſcilicet, re, ab alijs moralibus habitibus haud cenſeri diſtinctam exorſus, corporis

ris temperamento carentibus, ac propterea perturbationibus immunibus minime conuenire poſſe deduxiſti: virtutes etenim, cum perturbationibus magnam obtinere cognationem deprompſiſti, vt pote quæ animali, ſcilicet ex anima, & corpore compoſito, perturbationes ipſæ competere dignoſcantur, ideoq. humanæ naturæ tantum virtutes morales conuenire, credidiſti; at cum perturbationes virtutum inſtrumenta cenſuiſſes, quas ego omnes prauas, ac vitioſas, motiones vehementes, animi ægritudines, atque ad vitia calcaria, potius quam ſtudioſorum habituum inſtrumenta dixeram, Stoicam ſectam hæc redolere adiunxiſti: hinc à portu ſoluens nauem, in altum pretendens carbaſa, vaſtum, procelloſum, inſanumq. perturbationum mare adnauigaſti. Virtutes morales in ſenſuum apetitu collocari, iuxta Peripateticorum ſententiam aſſeruiſti, proindeq. Stoicorum ſcopulos, ſyrteſq., mores habitus mentis; perturbationes iudicia, ac exiſtimationes eſſe affirmantium, euaſiſti. Diſtinctionem illam tradidiſti nimirum, affectiones duplici modo facultati conuenire poſſe, primo ratione cauſſæ mouentis, & excitantis, ſecundo, ſubiecti: iuxta primum perturbationes menti impropriè tribuiſti: iuxta alterum nullatenus, cum

Digitized by Google

earum forma ſine corporis mixtione conſiſtere minime valeat. Hac via multa Philoſophantium pronunciata conciliari poſſe credidiſti. Et vt omnem rem patefaceres, quibus gradibus in nos perturbationes ſubrepant, recenſuiſti. Dilucidam profectò dictorum omnium habui comprobationem: enim vero, ex illarum generatione, progreſſioneq., eas ſine humorum conuenientia, ſine corporis alteratione minime fieri poſſe fateor; ſimul atquè inſtrumenta præbere virtutibus, perſuaſum habeo. Poſtmodum appetitionem ſenſuum, ſecundum veriorem opinationem in iraſcibilem, & concupiſcibilem ſeparaſti, idq. multis argumentis communiſti. Demum de affectionum numero, deq; illarum ſede ex varijs ſapientum ſententijs diſſerentem te audiui. Habui ne te?

O. Memoriter omnia retines, aſt aliud in hoc tibi ſciendum, diuinat ne animus?

G. Vnum credis? addas alterum, primum qua via, rationeq. oppugnationibus meis facturum te ſatis credas: aliud, quo pacto argumentationibus ſtoicis, reſpondeas.

O: Vnum profectò reliquum reputaueram, alterum enim penes talem auditorem, clariſſimum dijudicaueram; ex depromptis enim à me reſponſiones per te ipſum concinnare valueras: vtriquè

tamen

tamen haud deero. Si recte memini perturbationes inſtrumenta virtutum minime cenſenda dixiſti, Platonis auctoritate fretus, dolorem, & voluptatem animi ægritudines videri, quæ cum, ad praua potius nos impellant, eaſdem ad virtutes, inſtrumenta eſſe, haud cenſenda. Hanc profectò facillime dilues argumentationem, ſi paſſiones non vt ab ratione aberrantes, ſed, ab eadem directas aſſumpſeris, primo namque modo, ad vitia nos propenſiores reddunt, altero vero ad virtutes; Sunt profecto paſſiones animi ægritudines, cum à recta ratione, eiuſq. moderatione abhorrere conſpicimus, at eaſdem, habituum ſtudioſorum inſtrumenta, & materies, ſi ab recta ratione dirigantur. Ad argumenta quibus Stoici, virtutem circa mentem verſari credebant, deſcendamus. Moralis actionis perfectionem in prælectione poſitam eſſe ipſi aiebant, at cum prælectio mentis, non ſenſuum ſit, ideo virtutem non ſenſuum, ſed intellectus dijudicabant. Huic argumentationi hoc pacto occurras. Prælectionem illam in ſenſuum appetitu perfici, cum in ſenſibus id aſſequamur, atque perficiatur, quod recta decernit ratio. Alterum argumentum ab obiecto deſumptum, ita ſe habuit, Honeſtum, quod virtus coniectat, non ad ſenſuum, ſed ad intellectus appetitionem per-

tinere videtur; dicendum tamen (& haud perperam) honeſtum ad ſenſum pertinere,nō abſolutè, ſed vt habitu virtutis ornatum, rectæq. rationi conformatum. Tertium argumentum ex Ariſtotelis mente, in animæ ſcilicet portione rationis participe virtutem reperiri, ſtruebatur, proindeq. haud in ſenſuum appetione eam verſari dijudicandum. Iſtius argumentationis ſolutionem, ex iam dictis, tibi conſpicuam reddimus: ciuilem, moralemq. ſcilicet, actionem à mente, vt à dirigente ortum ducere dijudicantes, ac in ſenſuum appetitione per uirtutis habitum rationi obtemperante perfici contendentes. Demum quod de ſcientia, prælectione, & conſtantia dicebatur, ſcientiam menti dirigenti competere; prælectionem in ſenſuum appetitu perfici: conſtantiam denique ab habitu in ſenſuum appetitu producto, pendere arbitrati fuimus.

G. Omnia peregregiè abſoluiſti, ad cetera progrediare, ſi lubet.

O. Efficiam perquam lubenter. Vidiſti quo valui ſermone clariori, heroicam virtutem, à ceteris moralibus habitibus haud re diſtingui, atquè in ſedandis, moderandiſq. perturbationibus, ſtudioſos habitus verſari, proindeq. heroem perturbationibus vacuum, & immunem penitus

repu-

reputare non debes; ſtoicum enim dogma, heroicam virtutem non in moderatione, ſed in perturbationum euulſione abſoluta conſpici: Peripateticos in contrariam iuiſſe ſententiam vidiſti, idq. adeo verum, vt Ariſtoteles integram perturbationum extirpationem, non virtuti, ſed vitio aſcripſerit: is etenim heroicam virtutem ad morales habitus pertinere autumat, quos perturbationum moderationes, non euulſiones dijudicat. Dixeris propterea, heroem animi perturbationes eminentiori quodam modo, ob excellentem habitus conditionem, quam alius vir ſtudioſus aſſequi valeat, moderari.

G. Optimè quidem. aſt in quo heroicæ virtutis ſplendor, exceſſus, atque eminentia fulgeat, à te audire percuperem maximè.

O. Exſequar, at vt occæpi iuxta Ariſtotelis doctrinam: is etenim, in hac, qua fruimur, vita (miſſum hìc facimus quid de futura cenſuerit) homini felicitatem contingere poſſe arbitratur, quam in duos diſtribuit gradus, contemplationis ſcilicet, & actionis, atque in vtroque heroicum ſplendorē conſpici poſſe cenſuit; in contemplatione, cū morales habitus ad sūmum bonū in ſpeculatione poſitū nos perducere videntur: in actione vero, cū ad ſummū ciuile bonū dirigūt: enimuero

tum

tum eos, qui, in recte moderanda Rep. ſplenduère, quiuè in hominum ſocietate illuſtre aliquod beneficium cotulère, tum eos, qui morum probitate ſupra communem modum excelluère, heroes nuncupauit antiquitas. Noſtri tamen ſermones haud de Peripatetico heroe contemplationi dedito, quemadmodum nec de Platonico, erunt; neuter enim noſtris allocutionibus congruere videtur, cum in problemate de cura Principis, circa ciuium heroicam virtutem in actione poſitam habeamus: tantum propterea de heroe Peripatetico actiuo, verba faciemus. percepiſtin?

G. Quid ni, ſatis diſerte oblocutus es: aſt quæſo effare, cur heroicæ virtutis habitus menti, atque intellectui non aſcribis, dicendum, ſiquidem ſuadere videtur, cum mens ſenſu excellentior ſit; ideoq. affirmandum, eminentem virtutem, ad pręſtantiorem facultatem pertinere, congruentius eſſe; atque heroes, eos dijudicandos potius, qui in ſcientiarum ſpeculatione hominum ſocietati beneficia cotulère, quàm qui in ciuili bono labores ſuſcepère.

O. Hancine dubitationem ex diſputatione in ſuperioribus libata, nimirum heroicam virtutem, à moralium habituum forma, ſpecie haud diſtingui, dilutam habes: enim vero, cum ij in perturbatio-

bationum moderatione verſentur, ad ſentientis facultatis appetitionem eoſdem pertinere fatendum erit. Id ipſum alijs argumentis aſtruere valebis. Feritas, ſiue immanitas, heroicæ virtutis habitum oppugnat, vt optimo peſſimum, frigidiſſimum calidiſſimo aduerſatur: at feritas dubio procul, ad ſentiendi appetitum, cum rationem eſcludat, pertinet, ergo & heroica virtus, quam in affectibus ſitam eſſe profitemur, illos tamen eminentiori quodam modo, regere, atque moderari, dijudicamus: in mente verò ſpeculatrices facultates reponẽdas duxeris; Hinc Homerũ, Demoſtenem, & Platonem, qui in contemplatione excelluère diuinos appellatos conſpicis: Achillem vero, Herculem, Theſeum, in fortitudine conſpicuos, heroes nuncupatos: propterea Plato in Epinom: heroicas actiones amori ĩ probos, & odio in improbos refferri voluit. Heſiodus militiæ, iuſtitiæquè actus eiſdem tribuit. Accademici ſpeculatrices virtutes homines reddere dæmones, hoc eſt ſapientes; mor um vero habitus heroes, dæmonibus iuxta eoru m placita gradu inferiores, dixère. Audias Plotinu m. Hercules ille virili ſua fortitudine gloriabitur, ſapiens vero ſuperior, talia etiam paruipendet, in locum auguſtiorem iam profectus, & in ipſo intelligibile iam receptus mundo, &

pro-

profectò ſuperior Hercule, vt pote qui ſacratiora, ſapientiora certamina ſtrenuè exercuerit, & abunde peregerit. M. T. Cicero de nat. deorum lib. 2. & Lact. Firmian. de diuin. inſt. heroes excellentes in fortitudine viros fuiſſe profitentur. Hinc veneranda vetuſtas Leonidam, Curtium, Sceuolam, ceteroſq. id genus homines, herois titulo donauit. Epaminondæ fortitudinem admiratur, is enim agens animam Thebanis in ſolatium afferebat eũ ſic morientem non mori. Catonis factum qui, ne Cæſari, quem probitate ſuperabat, inſeruiret, propriæ internecionis auctor extitit, celebrat. Anaſarchum carnifici iuſſu Nicocreōtis eius corpus dilanianti, non Anaſarchum; ſed potius illius indumenta ſcindere, exprobrantem. Phocionem amicum rogantem, vt veneni propinatori ſtipem exſolueret hilari, ſedatoq. vultu, Athenis gratis ne mori quidem poſſe per iocum, & dicterium aientem. Socratem nocte cædi ſuæ præuia alte ſtertentẽ. Alexandrum Macedonem à fronte Darium acie numeroſiſſima ſtipatum cõſpicientem, quiete tamen, tranquilleq. cubantem, ac miranti, atque interrogãti, quo pacto ſomno indulgere poſſet, reſpondentẽ, Victoriã iam tenuiſſe, ac sũmopere lætari Dariũ omnes collegiſſe copias, vt vna pugna decertaturus, bello finem imponere valuiſſet.

Vt

G. Vt videre videor, heroicam virtutem in iraſcibili ponendam eſſe ducis, id namque mihi coniectare licet, cum fortes viros heroes dici profiteris: habitus etenim fortitudinis in parte iraſcibili verſari ex te habui: dic ſodes, à concupiſcibili prorſus heroicum habitum remoues?

O. Dicam profectò, quid in hoc ſit tibi ſentiendum, Interpetres Ariſtotelis ferè vniuerſi heroicam virtutem iraſcendi appetitui ſolumodo conpetere, cum ad facultatem illam ardui rationem referendam autument, profitentur: non nulli autem & in concupiſcibili poſſe reperiri, verius eſſe iudicarunt, fortitudinis tamen plurium ſectatus ſententiam exempla recenſui, aliorum verò non reſpuerim opinionem, hac tamen diſtinctione præmiſſa, vt heroes propriè eos, qui fortitudine excelluère dixerim, ceteros, qui alijs ſtudioſis habitibus præſtitère per analogiam, minuſq. propiè: quis enī, eos, qui in magnanimitate, atque magnificētia ſplenduère, heroes nō arbitrabitur? qui dolentes, cōmiſerantesq. heroes aliquando appellatos fuiſſe lectitauerit. Alexandrū naque Macedonē Darii mortē: Marc. Marcellū Syracuſarū deuaſtationē: Scipionem Numātiæ ruinā: Cæſarē Pompeii internetionē dolētes, heroes dictos inuenies.

G. Addas, heroes dici mechanicos, vt Æſculapiū, Tritolemum, Dedalum, Vulcanum, Prometheū

O. Vah à ſubſtantijs ſeparatis, diuiniſq. atquè cælicolis, ad mechanicos, ſordidoſq. ablegas heroes. Nuſquam hoc comprobabis: omnis namque ars, quo ad intellectus apprehēſionem habitus dicitur, proindeq., ad herois productionem prorſus inepta: quo vero ad executionem, quæ manibus contrectatur ineptior, cum nec impropie virtutem cenſendam eſſe arbitrandum ſit: viri attamē, quos renuntias herois nomine ab antiquitate donatos, non quia mechanici extiterint, ſed ob beneficentiam humano cætui artium inuentione collatum, heroes appellatos conſpexeris.

G. Mihi in hoc factum ſatis credas: aſt tuam audire ſententiam iucundum arbitrabor, num ſcilicet, heroicam virtutem in fortitudine tantum verſari credas.

O. Immo in omni habitu morali; idq. duo præcipue mihi perſuadere videntur: primum, cum idipſum in magnanimitate contendere poſſe, dijudicauerim: enimuero ſi magnanimus, quod ſummum, quodq. ſublime eſt in omni virtute capeſſit, idem multò magis in heroico habitu procedere cenſendum erit, hic enim cominus, illuſtrius, & ſplendidius, quam aſſequatur ille, ſummum bonum attingit. Alterum erit quod heſterna nocte propoſui argumentum, nimirum, virum probum

bum in vniuerſo pene virtutum habitu verſari, proindeq. eo magis de heroe dicendum. Concludas propterea, virum heroica virtute præditum omnem ſtudioſum habitum in ſe continere: aſt quo pacto idipſum ſequi coſpiciatur, ſi aduertis huc animnm, auſcultabis.

G. Do tibi operam, effare quæſo.

O. Virtus moralis, quam probæ honeſteq. operationis habitum dixeris, communi ſapientum præſcripto in qualitatis prædicamento reperiri ſatis, ſuperq. compertum eſſe reputaueris: qualitatem duas præcipuas habere conſiderationes arbitraberis, extenſiuam vnam (vocant) intenſiuam alteram dicunt, tu vero illam amplitudinem, hanc vehementiam quamdam aptius nuncupaueris. Rem eamdem clariorem, dilucidioremq. colorum exemplo efficies profecto: colorem etenim, vt viſibilem qualitatem, vtramque conſiderationem admittere experimur, coloris nãque extenſionem, ſiue amplitudinem, vniuerſitatẽ illam in ſeptem diſtributam ſpeciebus à Philoſopho lib. de ſenſ. & ſenſib. dixeris, Albi ſcilicet, nigri, punicei, purpurei: eiuſdemq. intentionem, ſiue vehementiam gradus illos, quos, in vnaquaque ſpecie percipimus, reputaueris: enim vero in albo niuis, eboris albedinem longe ſuperare vide-

mus:idq. de reliquis vſque ad vnum affirmare valebis. Idem in ſaporibus euenire cognoſces, quos in alias ſeptem, ſiue vndecim ſpecies diſſecari placuit Galeno, quem, ſi lubet, cōſulas lib. 4. de ſimp. Harum qualitatum inſtar, moralium habituũ amplitudinem, ſiue extentionem in fortitudine, temperantia, liberalitate, magnificētia, modeſtia, magnanimitate, clementia, tractabilitate, candore, comitate, & iuſtitia, harumq. duce prudentia conſiſtere, affirmare valebis. Vehementiam, ſiue intenſionem, eorundem graduum differentiam, quæ in vnoquoque habitu coſpicitur: in fortitudine namque fortiorem eum, qui maxima pericula ſubit, reſq. arduas publici boni cauſſa capeſſit, diiudicabis. In Temperantia, ſtudioſiorem, qui maximas voluptates moderatur, atque ita de ceteris. His poſitis, meam habeas ſententiam, Heroicam virtutem vniuerſorum moralium habituum amplitudinem, atque vehementiam recipere, hinc peripateticum fluxit dogma, ſicut immanitatem vitium vitiorum in omnes animæ potentias tyrannidem exercentem, ita ab oppoſitis ducta argumentatione, heroicam virtutem habitum habituum ſtudioſorum, ex recta adminiſtratione, abſolutaue rationis dominatione prodeuntem, arbitraberis; & ſi ita te

res

res habet, quis vnquam inficias ire poterit, heroem omni laudabiliori habitu ornatum non inveniri? profectò nemo. Philoſophus propterea heroicam virtutem per exceſſum, & ſtudioſi habitus præexcellentiam circunſcribit, eidemq. in more poſitum videbis, eos appellare heroes, qui ceteros in vniuerſo moralium virtutum genere ſupereminent. Ex me itaque habeas heroicum habitum ſplendorem ceterorumq. habituum ſtudioſorum perfectionem dici poſſe.

G. Heroem profectò non poeticum, non peripateticum, contemplantem, ſed agentem, hic curas introducere, qui omnium moralium virtutum extenſionem, & intenſionem obtineat.

O. Ita ſanè. aſt ad rem propoſitam deſcendere opportunum inſtat tempus, ad problema nimirum, Num Reip: tranquillitati cōducere arbitrandū ſit, heroicas in ea cōfouere virtutes, at prius quam ſermo noſter producatur vlterius, ſcire opporteat, credas, diſſertationē vniuersā penitus ad regnū, atque Monarchiā referendā, etſi nōnulla de aliis Reipūp: formis me obloquētē auſcultaueris. Aſtruas itaque verū hoc pricipiū: cuiuſque Reip: moderatori munus eſſe (de rectis, haud de corruptis, de prauatiſq. habeas) ciuiū beatā, felicemq. vitā procurare, quā dixeris cū Cicerone lib. 5. de Rep: opibus firmam,

copiis

Digitized by Google

copijs locupletem, gloria amplam, virtute honeſtam. Principes monet Xenophon memorab. lib. 3. Regem eligi non vt ſe ſe molliter curet, ſed vt per ipſum, ij, qui elegerũt benè beatèq. agant, hoc etenim Regẽ à Tyrãno ſecernit, ille namquè ſubditorum, hic propriis inuigilat commodis, tutelam nempe ciuium, non ſeruitutem Principi mandatam cecinit ad Honorium Claudianus.

Tu Ciuem, patremq. geras, tu conſule cunctis,
Non tibi, nec tua te moueãt, ſed publica damna.

Qnin & propenſio ciuium ad virtutem firmitudinem Imperio, dominationiq. parat amplam. Plaut. in Perſe.

Si incolæ benemorati ſunt, pulchre munitum
Arbitror, ſin aliter profectò
Centuplex murus, rebus ſeruandis
parum eſt.

Hinc Polybius lib. 6. Hiſtor. monumentis ſuis addidit. Status optabilis, & firmius eſt, in quo, & priuatim ſanctè, innoxieq. viuitur, & publice iuſtitia, & clementia vigent; quique recte, ac laudabiliter remp. inſtituere parat, gerentis virtus ciuibus communicanda eſt. Clarius potuiſſe tibi loqui Polibium autumas? communicandam Principis virtutem ciuibus arbitratur, ergo & heroicam in eoſdem introducendam: habitus enim heroicus

roicus Principem decet, virtutemq. heroicam regiam in ſuperioribus appellari diximus. In pudendum propterea eos dilapſos errorem reputabis, qui eo munitiores reges cenſuère, quo illi quibus imperitant, nequiores exiſtunt, vt pote qui ſeruitutis patientiores dicantur, quoſq. niſi ſeruos eſſe non deceat: errant profectò, errant, nam peſſimus quiſquè aſperrime rectorem patitur, contra boni, mites, innoxijq. metuentes, magis metuendi

Facile Imperium in bonos

Audias ad Ceſarem Saluſtium, Principi danda eſt cura, cum ipſe bonus, atque ſtrenuus ſit, vtiquam optimis imperitet. Principem itaque optimum decet in ſuorum ciuium animis heroicam virtutem inſerere, quemadmodum & Tyranni eſt eamdem ab illis euellere: peculiare tamen Democratiæ malum, in ea etenim regiminis forma, moleſtè, grauatoq. oculo excellentes virtute conſpiciuntur, populus namque æqualitatem parilitatemue eam proſequitur, quam heroico ſplendore præditi tranſilire videntur, hos odit propterea, inuiſos, ſuſpectoſq. habet. Athenienſium etenim reſp. ciuibus virtute conſpicuis ad decennium exilium indixit.

G. Vereor, ne tuo problemati aduerſarium, experiaris

riaris

riaris Ariſtotelem: is enim de regimine rectæ ſpeciei verba faciens lib. 3. polit. cap. 9. Ceterum inquit, ſi quis vnus exiſtat; aut plures vno, ſed non tot numero, vt totam ciuitatem complere poſſint, qui virtutis preſtantia excellant, vt ceterorum omnium virtus facultaſq. ciuilis non ſit cum illorum, ſi plures ſint, aut cum illius, ſi vnus, virtute comparanda, profecto hi, non ſunt in parte Ciuitatis ponendi. At dic ſodes Principibus ciues ſuos conſpicuos virtute reddendos perſuaſum iri credis, quos moneat Philoſophus eoſdem à Reip. corpore, tamquam membra moſtruoſa aſcindere?

O. Optime quidem argumentaris, ſimul & anſam ſermonem producendi non leuem præbes. Ariſtoteles ibi de oſtraciſmo, exilij quodam genere ab Athenienſibus inuento, atque inſtituto, quo decem ipſos annos, viri vltra modum potentes patrijs è ſedibus pellebantur: huiuſmodi iudicium inter cetera popularia ſortiebatur locum. Heraclides Hippiam tyrannum Piſiſtrati filium, ijs, qui dominationem appetijſſent, indixiſſe ſcribit. Ælianus verò à Fliſthene inuentum profitetur. Dictus oſtraciſmus à teſtula, vel ab oſtraco lapillo, in quo nomen illius, quem extorrem fieri volebant inſcriptum pro ſuffragio ferebatur, cum etenim placuiſſet populo oſtraciſmi iuditium, in-

ſtituere

ſtituere forum cancellis ſepire iubebatur, ita vt decem tantum in circuitu populo in tribus diuiſo, paterent aditus: tunc Archontes, & Senatus, qui iuditio præerant vniuerſam conuenientium multitudinem numerabant, nam ſi minus ſex millibus iudicaturi inuenirentur, iudicium in caſſum, irritumq. ibat: ſuffragium erat teſtula, quæ ob nimiam potentiam ſuſpecti hominis nomen depictum præſeferebat, qui ſi à maiori cõuocati populi parte notaretur, vrbe extemplo cedere, integer tamen bonis, incolumiſq. fortunis, cogebatur: Oſtraciſmus namque, haud ob flagitij pænam, ſed ob nimiæ potentiæ, ſiue exiſtimationis depreſſionem adinuentum fuerat. Athenienſes etenim eos, qui virtutis opinione, vulgiq. fauore ceteros excellebant, vrbe exigere, hoc iudicij genere conſueuère, quod Ariſtidem, Cymonem, Themiſtochem, & Tucydidem expertos fuiſſe, hiſtorica monumenta renuntiant: hoſce omnes ſpectatæ virtutis inuidia eiecit: qua in re præclarum illud, atque memorię commendari dignum factum adnotabis: aliquando etenim cum oſtraciſmo eſſent indicta comitia, agreſtis quidam homo rudis plane, ac literarum ignarus Ariſtidem, qui iuſti nomenclatura decorabatur, forte fortuna offendit, illumq., teſtula oblata, vt Ariſtidis nomen

inſcriberet rogatum voluit,miratus Ariſtides virum interppellat, num ab Ariſtide aliquid detrimenti accepiſſet, nullum penitus, inquit ille, immo hominem prorſus ignotum habeo, ſed vulgatum illud iuſti nomen, æquo animo ferre haud quidem valeo: votis illius fecit ſatis Ariſtides, ac nomen in teſtula ſuum adnotauit, indeq. expulſus, quod iuſtus appellaretur: ſed quęſo viri modeſtiam attendas: is cum vrbe egrederetur, diras execrationes, imprecationeſq. haud effundens in ciues, ſed manus ad cælum tendens Athenienſibus in poſterum omnia fauſte, feliciterq. precabatur, vt Ariſtidis deinceps memoria omnibus excideret. Eodem iudicio notatus Damon, quod prudentiæ opinione conſpicuus redderetur. Tandem vt mortalium rebus vſu venire ſolet, antiquatus oſtraciſmus: nam cum Alcibiades, atque Niceas ſeditioſe ſecum agerent,populuſq.indictis. Oſtraciſmo comitijs alterum eorũ expulſurus ſine dubio videretur,illi coitione facta Hiperbolum virum ſane haud virtutis, ſed improbitatis exceſſu cõſpicuum vrbe pellendum curarunt, idq. iniquo, adeo tulère omnes animo; vt exinde oſtraciſmi iudicium obſoleuerit.Æqualitatem inter ciues cõſeruandi cauſſa Rerump. moderatores iudicium hoc indixère, indeq. tranquillitatem, vt hac via

diu-

diuturniorem, atque pacatiorē dominationē redderent, rati ſcilicet, humanæ conſociationis curam humano corpori comparari, in quo ſicut ſanitas, & pulchritudo ab humorum æqualitate, elementorumq. harmonica proportione coaleſcunt, ita in Reip. moderatione, ſalutem atque incolumitatem ab exiſtimationis, ciuiumq. fortunarum æqualitate prouenire compertum habeant. Pharmaci inſtar erat oſtraciſmus, quo ſeditionum ciuilium contagioni medebatur; nam etſi ſpecioſum viris virtute præexcellentibus ciuitatem incolendam tradere videretur, nihilominus aliud Reip. tranquillitatem conſeruandi cauſſa expoſcere videbatur: in id etenim legum prudentes latores oculorum aciem direxère, idèmq; enixe conatibus omnibus, vt in politico regimine æqualitas inter ciues cōſeruaretur, procurarūt. Nemo vobis excellat dicebāt Epheſij, etſi excelluerit exul eſto. Erat inter ceteros Hermodorus, vir peregregius: qui cum doctrina, ac probitate, præſtaret, patria eiectus eſt; quod factum admirantibus quibuſdam, ac rogantibus quare illud, reſponderunt, nihil aliud cauſſæ eſſe, quam quod virtute, & moribus nimis ſuos conciues anteiſſet. Athenienſes Tæmiſtoclis exilio hanc pretexuère cauſſam, vt ſcilicet illius animus comprimeretur,

ne poſt deuictum Xerſem, à Barbarùmq. imperio vindicatam Greciam, gloria, ac potentia clarior popularem æquitatem, menſuramq. excederet, eodemq. conſilio, vt Timocreon Rhodius poëta famoſum carmen, quo illum auaritiæ, iniuſtitiæ, violatæ fidei, proditæq. hoſpitalitatis criminaretur, iaceret, permiſere. Opinantur nonnulli rectè intuentibus patere, malorum omnium radicem, nimiam quorundam ciuium potentiam in Rebuſp. fuiſſe, hanc vſque ad internetionem florentiſſimas conflictaſſe, & infauſtas in eis excitaſſe tragædias: conuertantur, inquiunt, ad Romanam mentis oculi, in ea nulla alia ex cauſſa ſimultates irrepſiſſe liquido conſpicietur, vnde & corruptionem & interitum; quid enim aliud Romanos perſuaſos habuit, vt Pompeium eueerent, niſi vt Cæſaris partibus æquipondium conſtituerent, rerum tamen euentus aliud tradidit iudicium, nam exortis ciuilibus bellis vniuerſa Reſp: peſſum iuit: conſultius, vtique Cæſarem oſtraciſmi iudicio ſubmiſiſſent, at non licuiſſe dices, quia Ceſaris ius in armis, profectò valuiſſent, ſi principijs obſtatum, ſi Imperium illi ad decennium non productum. Mediceæ domui ad florentinæ Reip: dominationem, viam ſtrauit Coſmæ ſpectata virtus, atque Laurentij prudentia, horum namque

aucta

aucta magis, quam par fuerat condictio, Mediceis Reip. Imperium tradidit. Malum hoc Ariſtocratico, & Democratico regimini peculiare; monarchico tamen haud prorſus inſolens, noſtro ſiquidem æuo experimur, nimia etenim procerum potentia, atque virtutis ſpecioſa exiſtimatio, florentiſſimi alioquin Imperi turbationem operata eſt. Galliæ labores, inteſtineq. ſeditionum procellæ funeſtum nobis præbent exemplum, Guiſiorum namque apud Pariſienſes credita virtus, quos non tumultus, quæ non incendia bellorum, quas non commotiones, non excitauit, & vſque ad penè Regni euerſionem non produxit? Prudentiores propterea Principes ne dum ad Imperij firmitudinem, verum etiam ad publicam quietem, atque ſubditorum tranquillitatem procurandam, aliquando præſtantium virorum depreſſionem, eiectionemq. conferre, arbitrati fuère, oſtraciſmo ſpecioſas prætexentes cauſſas. In Hiſtorijs lectitabis exempla. Auſpicemur quæſo à Nerone alioquin principe immaniſſimo: is etenim, vt Populi Romani dicteria tollerētur, ſeq. à metu abdicationis Imperij eximeret, Rubellium Plautū in Aſiam ablegauit, quouè prætextu id factum fuerit habes à Tacito lib. 14. annal. inquit. Interque & ſidus cometes effulſit, de quo

vulgi

vulgi opinio eſt, tanquam mutationem regis portendat: igitur quaſi iam depulſo Nerone quis nam diligeretur inquirebat; & omnium ore Rubellius Plautus celebratur, cui nobilitas per matrem ex Iulia familia; ipſe placita maiorum colebat, habitu ſeuero,caſta, & ſecreta domo, quantoq. metu occultior, tanto plus famæ adeptus. Auxit rumorem pari vanitate orta interpretatio fulguris: nam quia diſcumbentis Neronis apud ſimbruina ſtagna, cui ſub laqueum non eſt ictæ dapes, menſaq. diſiecta erat, idq. finibus Tiburtum acciderat, vnde paterna Plauto origo, hunc illum numine Deûm deſtinari credebant; fouebant multi, quibus noua, & ancipitia præcolere, auida plerunque fallax ambitio eſt. ergo permotus iis Nero componit ad Plautum literas, conſuleret ſibi, & turbis, ſeq. prauè diffamantibus ſubtraheret, eſſe illi per Aſiam auitos agros, in quibus tuta, & inturbia inuenta frueretur. Ita illuc cum coniuge Antiſtia, & paucis familiarium conceſſit:

G. Mitius factum, quam quod Neronis mores conceſſiſſent, eiuſdem Imperij initijs dignum, mores tunc mitiſſimos in Suetonio legi, ait ille. Orſus hinc à pietatis oſtentatione, Claudium apparatiſſimo funere elatum laudauit, conſecrauitq.

memo-

Digitized by Google

memoriæ Domitij patris honores maximos habuit. Matri ſummam omnium rerum publicarum, priuatarumq. permiſit. Et paullo poſt. Atque vt certiorem adhuc indolem oſtenderet, ex Auguſti præſcripto imperaturum ſe profeſſus, nequè libertatis, nequè clementiæ, nec comitatis quidem exhibendæ, vllam occaſionem omiſit. Grauiora vectigalia aboleuit.

O. Imò poſt maternæ cædis tempora facinus aſſequitur.

G. Ita profectò? ſupra fidem eſt, vtq. eam vix Taciti dictis adhibere queam.

O. De Auguſto quid ſimile in eodem Tacito lectitaui: is enim Lucium Antonium ſibi inuiſum ſtudiorum ſimulatione Maſſiliam migrare iuſſit. De illo ait Tacitus. Vbi ſpecie ſtudiorum nomen exilij tegeretur.

G. Dic quæſo exempla iſta, ac conſilium quo viri probitate conſpicui patria pellebantur, perſuaſos quoſq; Reip: moderatores habebunt, nullo pacto heroes in Rep: alendos, atquè confouendos eſſe: quorſum namque hæc cura, ſi eoſdem poſtea eijcere cogantur?

O. Fruſtra ſanè prima fronte, primoq. intuitu, at cupis quid in contrarium aſtrui poſſet, vt renuntiem?

Pero-

G. Peroptarem id maxime.

O. Hæc precipua habeas. Quodcunque ad bonum, ac humanæ conſociationis finem introducendum, conſeruandumq. dirigi conſpexeris, id ipſum in ciuitate procurandum arbitraberis: aſt cum idem heroica operetur virtus: ea conſpicuum virum è Repub. eijciendum minime reputaueris opportunum: is etenim lux morum, virtutis norma cenſendus, & in exemplar ceteris ad imitandum proponendus: illum, qui ad felicitatem dirigit optatam, exilio multandum dixeris, quem imperio dignum, extorrem fieri? abſit hoc affirmare. Oſtraciſmi propterea iudiciũ iniquũ, ac ſine ratione tyrannicum inuentum, cuius iniuſtitiam, nec æqualitatis conſeruandæ cauſſa obnubit: nam quos heroes dixeris, eoſdem omni ex parte optimos neceſſe eſt vt habeas; eruntq. propterea Reip: conſeruatio, & tutela; patrijs ſe ſubmittent legibus, haud pænę formidine, ſed virtutis amore: æqualitatem politicam inſectabuntur: tumidos, inflatoſq. non reddet virtutis eximius ſplendor; quos videbuntur antecedere ijs patientur æquari: opem patriæ in publicis neceſſitatibus ferent, publicæq. vtilitatis cauſſa forti animo magna capeſſere non verebuntur. Hoſce profectò viros ob Reip: quietem, atque tranquillitatem parandam expel-

expellere minimè expediet, nam etſi aliquando id aſſequi viſum fuerit opportunum; id tamen haud in viris heroica virtute conſpicuis, ſed in aliquo forte ſtudioſo habitu præexcellentibus acci-diſſe lectitamus, in his ſcilicet qui fortitudine excelluère, hos etenim homines ſæpius ambitionis labe affici compertum eſt; quam ab heroibus prorſus eliminandam cenſueris.

G. Hoc ſanè in Themiſtocle adaptabis, ſed quid de Ariſtide dicendum autumas; heroem illum propie extitiſſe dicendum erit, cum iuſti nomenclaturam commeruerit, è Ciuitate tamen pellendum eſſe Athenienſes arbitrati fuère.

O. Pro oſtraciſmi Iuſtitia, haud multum Ariſtidis exilium, Athenienſiumq. iudicium magni facerem, quin potius eiuſdem iniquitatem maximam elicerem: nam ſi Iuſtitia in Ariſtide, quid aliud in homine mortali exoptandum fuerat, Iuſtitia etenim duplex, abſoluta, & relata; prima virtus eſt perfecta, atque ſuprema, qua animæ partes ad inuicem conſociantur, vt inferiores ſuperioribus morem gerant: quælibet opus ſuum proprium intendat: aliena negligat, ex qua non ſecus atque in cantu harmonia, in anima fit traquillitas, & cõcordia: hæc profecto, virtutes cõtinet omnes, ſed interna operatione cõſiſtẽtes, ipſoq. in animo inditas.

Digitized by Google

Altera ſcilicet relata, ea, quæ ad ſocietatis ciuilis ſalutem diriguntur, adq. exteriorem vitæ cultum accommodantur, coniectat; eamq. conſtantem, ac perpetuam animi voluntatem, ius ſuum cuiquè tribuentem, qua homines volunt, aguntq. quæ iuſta ſunt, deſcripſeris: At ſi Ariſtides interius, exteriuſq. ſic efformatus conſpiciebatur; dixeris forte ſaluti publicæ conduxiſſe illum è patria in exilium eieciſſe? haud quidem: rectius tamen inter alia Athenienſium Reip: errata hoc etiam annumerabis, de quibus Ariſtotel. lib. 2. politic. His poſitis, curæ eſſe Rerump: moderatorum dijudicaueris, virtutem heroicam in ciues introducere, atque tranquillitati huiuſmodi ſortiri viros, conducere. hac in re optas amplius?

G. Ariſtotelis tantum argumentis pro oſtraciſmo vt facias ſatis: is etenim inuiſos hos habet homines, quippe qui harmoniam quandam Reip. corrumpant, non ſecus atque in cantu diſſona vox, vt quemadmodum chori magiſter eum, qui reliquos ſonoræ vocis excellentia vincit, canere vetat ita in Rep: non ferendus, qui ceteros ciues virtutis præſtantia antecellat: ſic pictor pedem maiorem, quam totius corporis ſymmetrica proportio patiatur, haud quidem penicillo delineat: nec nauium opifex, puppim, ſiue malū mauis conſtruet,

quam

quam nauis ipſa tota ferre queat. Herculem hæc ex cauſſa à ſuis Argonautis derelictum, quia eis præſtantior erat, commemorat Philoſophus; Periandriq. factum Thaſibuli legato adminiſtrandæ Reip: conſilium petenti oſtenſum, inter ſcilicet, deambulationem eminentiores ſpicas baculo decutientis, totiq. ſegeti adæquantis.

O. Ariſtotelis hæc æqualitatis in Rep: ſeruandæ cauſſam reſpiciunt: iiſq. propterea occurras rationibus, quas in ſuperioribus habui, atque aliud ex eodem Philoſopho accipias: Remp. ſcilicet optimis legibus conſtitui poſſe, vt oſtraciſmo minime egeat: at ſi forte ciuium aliquis ceteros virtute præſtare reperiatur, eum quidem patria haud pellendum, ſed in Regem acclamandum potius, profitetur.

G. Nullum acroama, nullamq. ægrius audient principes vocem, quam hocce tuum pronuntiatum, malam quidem ſuſpicationem in eorum animos inijcies: hac ſola ex cauſſa heroes omnes penitus peſſum dabunt, omnibuſq. conatibus radicitus heroicam euellent virtutem.

O. Id euenturum ne metuas; haud ingratum Ariſtotelis dictum monarchis, ſanius ſi illud interpretabimur. Philoſophus ne in caſſides incideret, virum namque virtute præſtantem extorrem fie-

ri periniquum ſatis cenſeri, alij verò ſubeſſe, & parere abſurdum, vtrumq. propterea vt euitaret, heroem Imperio dignum diiudicauit: Philoſophi mentem iuxta Petri Victorij tranſlationem ex his verbis elicito. Sed ſi quis præſtans virtute fuerit, quid illo faciendum eſt? non enim videretur rectũ eſſe, eijcere ex oppido, & iubere ſolum mutare huiuſmodi virum; ſed etiam minime imperium in ipſum exercere, ſimile namque foret, ac ſi Ioui imperare poſtularent partientes Imperia. reſtat igitur, quod videtur natos eſſe omnes ad parendũ tali viro libenter, ita vt reges perpetui ſint tales in Ciuitatibus. Hæc Ariſtoteles, cuius ſententiã minime intelliges, vt qui in ſtatu monarchico ceteros virtute præſtare reperiatur Rex ſit acclamãdus, ſed potius Philoſophi pronuntiatũ, in ariſtocratico, ſiue in demoſtratico regimine procedere dijudicabis: in his etenim formis viciſſim imperatur, ac parétur, ideoq. abſurdũ illud euenire timetur, quod optimus peioribus ſubijcietur, alijs propterea dominari decebit, proindeq. Ariſtocratia in Monarchiã tranſitũ faciet, quã optimã aliarũ Rerũp. tuetur Ariſtoteles: hinc heroicã virtutẽ perficere potius; quã corumpere Remp. deduxeris. Senſum verborũ Ariſtotelis accipias, vt ſi in democratia plures virtute conſpicui reperiantur, optimatũ Reſp: coaleſcat:

cat: ſi verò in Ariſtocratia vnus ceteros præſtare, Monarchia reſurgat. Philoſophi itaquè verba de regimine monarchico minime aſſumas, optima enī Reſp: labefactaretur, magnæq. ſeditionū procellæ excitarentur; immo ipſius Philoſophi mens deprauaretur: is namque cum indecorū eſſe, virum egregiè optimū uiciſſim parere, & imperare, profiteatur, vtique haud de monarchia, in qua vnus ſemper dominatur loqui iudicandū erit. In hunc ſenſum Philoſophi ſententiã habeo, alij aliam cōcinnant expoſitionem, illius ſcilicet verba ad vitæ candorem, non ad regni honorē referenda eſſe; hęc tamen interpretatio Ariſtotelis mentē oppugnare videtur, abſurdū etenim ab eo conſideratū, vt nēpe indecorū cenſeatur optimū peioribus inſeruire, non de vitæ cãdore, ſed de politica dominatione intelligendū erit. Ex his itaque habeas, mi Gaſpar, Principū curę, atque ſollicitudinis eſſe, virtutes in ſuo Regno coli, eorundēq. munus, ad heroicã virtutē ditioni ſuæ ſubiectos perducere; quibus tamē medijs id aſſequi valeat reliquū eſt, vt ſcias.

G. Valde idipſum me exoptare credas: in ſpeculationibus namquè hucuſquè immorati, politicis concertationibus parum profecimus: ideoq. ad media, quibus heroes reddi valeant homines deueniendum eſſe, præſens inſtitutum expoſtulat.

Ex

O. Ex Ariſtotele lib. 7. polit. illius, quod quæris, habes principia: is etenim habitus morales in nobis, natura, & aſſuetudine fieri ſcriptum reliquit: natura etenim faciliores, propenſioreſq. ad honeſtum prouocationem habemus: aſſuetudine tamen, quod à natura tribuitur perfici, atque expoliri, experimur.

G. Virtutum ſemina moralium in natura conſiſtere arbitraris? memoria eſt mea contrarium in Ariſtotele me lectitaſſe, virtutem ſcilicet, haud reperiri, ſed fieri potius; quam argumentationem ab eruditiſſimis quibuſque viris aſtrui hoc pacto aliquando audiui. Natura quæ conſtant aliter aſſuefieri nequeunt; aſt ita ſe habet, ergo eam natura haud conſiſtere arbitrandum erit.

O. Appoſite quidem argumentum recenſes, quod Ariſtotelis eſt lib. 7. ethicor. à quo alias mutuaberis in idem incidentes ratiocinationes, at lubet altius rem auſpicari, quidue ſapientes in hoc ſenſerint proponere. Plato doctrinam, atque naturam in virtutum procreatione nihil habere profitetur in Menone, diuinitus namque oriri dijudicat, inquit enim ipſe. Si autem nos in omni hac diſputatione recte perſcrutati ſumus, virtus vtique nec doctrina, neque natura nobis aderit, verum diuina ſorte, abſque mente in eũ, qui illam ſortitus fuerit,

Digitized by Google

rit, influet. Ariſtoteles diuinitatis omiſſa cauſſa, quã à ciuili Philoſophia alienã credidit, indagandum proponit. Num virtutes doctrina, vſu aut natura fiant in nobis; atque in hanc ire videtur opinationem, vt natura, & doctrina aliquid conferre videantur, plurimum tamen mores, vel vſus. Natura etenim nos ad virtutes recipiendas aptos reddi arbitratur, quam aptitudinem lib. 6. ethicor. cap. vlt. lib. 10. cap. 8. & 9. lib. 7. Politic. virtutem naturalem appellat. doctrina actiones noſtras dirigi, quæ recte, quæue praua ſint oſtendi docet. Harum tamen adiumenta parua reputans, cauſſam omnem in aſſuetudine, vel vſu reperiri autumat. Stoici ab Academicis, Peripateticiſq. placitis diſſentire videntur (bipartita animi, & virtutis diuiſione reprobata, vt teſtantur Cicero lib. Academ. & Plutar. de virtute morali) virtutes omnes, in animi parte ratione prædita conſiſtere credunt, eaſdemq. ſcientiam eſſe, teſte Laertio in Zenone, profitentur. Hinc Ciceronis ſententia lib. 3. de offic. ſtoicam doctrinam redolere videtur: temperantiam enim ex ſcientia dicit, acquiri vero, ſeu comparari virtutes natura, doctrina, & vſu exiſtimat: atque in nobis virtutum ſemina igniculos, ſeu ſcintillulas innatas eſſe, quas plerumque communes notiones nuncupari ani-

maduer-

maduertes. Idem Cicero lib. 3. Tuſcul. naturæ lumina appellat, quæ ſi recta doctrina, probiſq. moribus excolantur, atque perficiantur, virtutes fiant: contra ſi improbis, deprauatoq. vſu fædentur, & reſtinguantur, vitia. Hiſthec ſæpe inculcat Cicero lib. 2. & 5. de finib. lib. 1. de offic. & lib. 1. de legib.. Stoicorum ſententiam oppugnat Ariſtoteles; autumat enim animo noſtro, neque artium neque virtutum ſemina ineſſe, illumq. ceræ inſtar, ſiue tabulæ in qua nil depictum reperiatur eſſe promit præter τὸ πεφυκός hoc eſt procliuitatem quamdam. Idemque lib. 2. ethicor. cap. 1. inter intellectiuam, & moralem virtutem diſtinctionem præmittens, illam ex doctrina generationem, atque incrementum ſortiri: hanc vero aſſuetudine comparari, dijudicat. eminuero ſi cum intemperantibus aſſueſcant homines, intemperantes, ſi cũ iuiſtis iuſti: ſi cũ fortibus fortes euadere videntur, eoſdem tamen prudentia, rectaq. ratione excoli, ac perfici in nobiſmet ipſis quiſque noſtrum experitur: rectam profectò rationem cognoſcimus, bona verò agere illecebris irretiti, voluptate ſiue dolore præpediti, haud quidem valemus, idq. maxime euenire, quod in bonis operationibus aſſuetudinem minime teneamus, compertum habemus. Plato in Protagora, Marſilio

Ficino

Ficino interprete, virtutem ciuilem, immo & ceteras (omnes enim illa amplectitur) neque natura; neque caſu vti abſolutum, firmumq. habitum acquiri poſſe docet, doctrina dumtaxat, aſſuetudineq. eam comparari dijudicans: idipſum vt comprobet, primo rationem adducit, homines laudem, ſiue vituperationem ab his, quæ vel natura, vel caſu fiunt, non metiri; actionibus verò ſtudioſis, aut improbis laudari, ſiue vituperari: Pueros propterea, & adoleſcentes ſub domeſticis, grammaticis, gymnaſticiſq. legibus miro quodam ordine in ſuis de Rep. monumentis ſubmiſit: educatione etenim, inſtitutioneq. vitia exterminare, virtutes verò promouere nititur; quod equidem prætermiſſum habuiſſet, ſi vitia, vel virtutes fortuna, aut fato, non tamen arbitrio, atque exercitatione coaleſcerent. In hoc itaque quid philoſophorum ſectæ ſentiant, habes. Stoici in parte ſolum animi rationis participe reperiri virtutes: Academici, vel diuinitus impartiri, vel doctrina, & aſſuetudine comparari, traddidère. Peripatetici generationem, incrementumq. virtutibus aſſuetudine tribuère. Horum tamen multa, ad conciliationem reduces, ſi quot modis quid natura fieri valeat conſideraueris. Primò quæ ab ipſo ortu rei

K con-

congenita, atque inſita videntur, vt lapidi deorſum, igni ſurſum. Secundo quæ non ſimul ab origine, ſed aliquod poſt tempus, nullo adhibito ſtudio, non doctrina, non aſſuetudine euenire conſueuère, vt dentium, pilorumq. productio. Tertio ea, ad quæ ſuſcipienda, aliquid nobis à natura tributum extat, quemadmodum ſanitas natura conſiſtere dicitur, vt pote quæ corpus magis ad incolumitatem quam ad morbum recipiendum conſtituerit. Iuxta priorem modum ab Ariſtotele pronunciatum aſſumes, virtutem ſcilicet haud natura conſiſtere; nec altero modo gigni profiteberis: reliquum erit, vt affirmes ſecundum naturam eſſe magis virtutem, quam vitium, magis bonum quam malum, aptiores nos ad ſtudioſos habitus, quam ad vitia naturam produxiſſe.

G. Siſte quæſo gradus, dic ſodes quo pacto ex natura virtus? ſi eadem ad vitia palam ducit, atque impellit, ſi ad uirtutem adnitentes in dies oppugnat?

O. Secundum naturam eſſe virtutem; hac mente dixeris, vt nobis facultates, & potentiæ ad ſuſcipiendos ſtudioſos habitus ab ipſa natura inſitæ, cogenitæq. cenſeantur, eædemq. tanquam in ſubiecto, in anima reperiantur, à ſummo Archetypo aptitudine quadam creata, vt virtutes, tan-

quam

quām formas, in ſuā materia ſuſcipere queat, noſtra tamen opera, atque aſſuetudine comparari, & acquiri: in his etenim, quæ nobis inſunt natura, prius operandi potentiam, deinde operationem ipſam obtinemus, ſic prius videndi ſenſu, quam videamus potimur: contrarium in morum habitibus experimur, prius enim operari oportet, atque in ipſa operatione aſſuetudinem facere, quam eiuſdem operationis habitum, quo cum voluptate operemur, aſſequamur. Hoc verum tum experimento, tum Philoſophi auctoritate, quin, id ipſum legumlatorum exemplo manifeſtūm. Ii etenim ciues optimos fieri ſatagentes, naturæ viribus negotium committere haud fidentes leges condunt, quibus præmia bonis, improbis pænas decernunt. Rurſus, virtus inſtar artis ex eiſdem operationibus, quæ ratione bonorum, aut improborum factorum in vitia, vel in virtutes abeunt, oritur, & corrumpitur: Citharæ namquè pulſationem vnam dixeris operationem, duplicem tamen fieri poſſe affirmaueris, nimirum aptè, & ineptè, adeo vt ex concinna pulſatione ars pulſandi oriatur, ex diſſona verò, eadem corrumpatur, vtramque tamen ex eadem operatione ortum ducere, diuerſa tamen ratione, cenſebis: bona, & mala operatio eadem eſt in genere,

differt tamen ; cum diuerſo modo ſe habere contingit. Virtutes itaque, cum ex eiſdem operationibus in genere ſumptis generentur, atque corrumpantur, ex aſſuetudine potius, non natura in nobis oriri arbitrandum erit, cum naturæ operatio ad oppoſita minime ſe habere dignoſcatur; illiq. vnicus tribuatur motus, idemq. ſemper in agendis tenor, atque vis. Hinc habeas in hunc ſenſum me dixiſſe in natura ſemina virtutum reperiri, haud tamen natura procreari, atque infundi, vt Stoicis placuit, quemadmodum nec inſuflatione diuina, vt Academici docent, inſpirari; ſed quemque noſtrum facultatem, procliuitatem, ſiue propenſionem quandam ad virtutes obtinere, qua ad temperantiam quidam idonei videantur, quippe qui corporis temperamentum ſortiantur, quo ſedatiorem concupiſcibilem experiuntur: quidam alij ad fortitudinem; qui vehementiorem à natura agnoſcant iraſcibilem. Hoc ipſum docuit Philoſophus lib. 6. moral. cap. 13. nobis ſcilicet quodammodo natura inſitos eſſe mores; quatenus quædam propenſiones tamquam futurorum morum ſpecimina in pueris conſpiciantnr, quæ Lacedemonij animaduertentes adoleſcentes illi ſoli vitæ generi aſcribebant, cui, natura propenſiores, &

pro-

procliuiores viderentur, ſatis profectò in hoc prudentes, cum nihil faciendum, nihilq. inuita Minerua addiſcendum. Idemq. hac mente lib. 7. de Rep. Græcis Aſiaticis, & Europęis mores alios tribuit.

G. Habui profecto, quòd depromp ſiſti; vnum tamen antequam vlterius progrediaris à te expeto, illud quidem, quo pacto probabis, naturam magis ad virtutem, quam ad vitium quemque noſtrum propenſiorem reddere.

O. Hoc ipſum rationibus comprobabis primò: nam cum homo natura particeps rationis ſit, eidem naturale ſecundum rationem viuere, cum virtutum actiones rectæ rationi conſentaneæ dicantur, hominis naturæ conuenientes cenſentur. Rurſus homo per naturam, ad veri cognitionem propendit, docente Ariſtot. 1. methap. cap. 1. & boni appetitionem, primo Ethic. cap. 1. virtutes in verum, morales in bonum feruntur. Tertio id, quo vnumquodque ſecundum naturæ ſuæ gradum perficitur, eſt illi ſecundum naturam, hoc autem virtutibus excolitur, ſunt ergo virtutes ſecundum naturam: Secundò virorum erudititiſſimorum teſtimonio idipſum planum tibi fiet. Audias Ciceronem 1. de legib. ait enim in animis noſtris

quaſi

Digitized by Google

quaſi virtutum quædam ſemina, & igniculos in eſſe, quæ adoleſcere ſi liceret, nec à prauis opinionibus, ceu ſpinis ſuccreſcentibus ſuffocarentur, ipſa nos ad beatam vitam perducerent, ac quemquam nullius generis eſſe, qui ducem naturā nactus ad virtutem non poſſit peruenire: & lib. 1. Academ. inquit, Nulla in re alia niſi in natura quærendum eſſe illud ſummum bonum. Hoc ipſum clarius prodit Seneca Epiſt. 1. Virtus ſecundum naturam eſt, vitia inimica, & infeſta ſunt. Iterumq. nulli nos vitio natura conciliat; nos illa integros, liberoſq. genuit. Rurſus de benef. lib. 4. cap. 17. Adeo gratioſa eſt virtus, vt inſitum etiam malis ſit, probare meliora. Et lib. 2. de ira cap. 13. Et ſanabilius ęgrotamus malis, ipſaq. nos in rectum genitos natura, ſi emendari velimus, iuuat. Et Epiſt. 41. Conſummatur hominis bonum, ſi id adimpleuerit, cui naſcitur, quid enim ab illo ratio exigit? rem facillimam, ſecundum naturam viuere. De Beat. vita cap. 8. dixerat. Idem eſt beatè viuere, & ſecundum naturam, Et Epiſt. 5. Proprium noſtrum eſt ſecundum naturam viuere. Sed Stoicæ doctrinæ alumnum relinquamus, diuinæ profeſſorem Hieronymum auſcultemus: is enim ad Demetrium de Virgin. ait. Homo natura bonus, voluntate factus

eſt

eſt malus, eſt tamen in animis noſtris naturalis quædam, vt ita dixerim, ſanctitas, quæ velut in arce animi præſidens exercet boni, maliq. iudicium. Habes in hoc, & Platonis authoritatem in conuiuio de amore Dial. 52. Omnium prægnans, & grauidum eſt hominum corpus, prægnans & anima, & cum ad rectam ętatem peruenerimus parere noſtra natura cupit, parere verò in turpi nequit, in pulchro poteſt. Hac ratione; virtutes homini naturales dicuntur, haud tamen perfectæ, & completæ, ſed inchoatione quadam, & tamquam in radice, è qua accedente diſciplina, & ſtudioſarum actionum exercitatione, in actum prodeant.

G. Teneo quid in hoc ſentias: aſt percuperem maximè, quibus ex cauſſis, ſiuè principijs, in nobis propenſiones huiuſmodi, igniculi, lumina, ſiue ſemina virtutum excitentur.

O. Deſiderijs tuis faciam ſatis, ſi me vltra metam ſermonis progredi paululum ſinueris. Et ſi omnes rationis participes animæ nō modo iuxta ſpeciem, verum etiam ſecundum indiuiduales differentias, ęqualem habeant naturæ perfectionem, proindeq. intelligendi facultas ab ipſa anima profluens, eidem inhærens in omnibus hominibus parem obtineat dignitatem; quemadmodum ceteræ im-

materia-

materiales potentiæ : attamen quia ad primam ſpecierum intelligibiliũ productionem, oportet, cum intellectu agente phantaſiam concurrere, vt dum intellectus operi incumbit, cum eo operetur, docet Ariſtotel. lib. 3. de anima cap. 8. text. 39. oportet enim intelligentem phantaſmata ſpeculari; fit vt acumen in apprehendendo per intellectum iudicando, componendo, diſcurrendo, ceteriſq. obeundis functionibus, à phantaſiæ præſtantia magnopere pendeat, cuius perfectio, cum à ſenſiterio, & à corpore, in quo ineſt, procedat, contingit propterea, vt ad ingenij, & acuminis perſpicaciam, maximè ea conferant; quæ corpus qualitatibus benè afficiunt, & in contrariam partem, quæ male. Ea quidem multiplicia ſunt, vt puta natalium ſidera, opoteleſmata, & Horoſcopi vt Ptolomeus in Cẽtiloquio, & D. Thomas lib. 3. contra gent. cap. 84. adnotarunt: etenim cæleſtiũ corporum virtus, licet in animam rationis participem non agat directò, in ſenſuum tamen tam interiorum, quam exteriorum organa influit; nunc his, nunc illis affectionibus pro ratione aſpectuũ ſyderumq. irradiationis imbuit. Secundò progenitores ipſi conferunt maximè, à quibus hæreditario quaſi iure, ne dum habitudinem corporis, robur, bonam vel aduerſam valetudinem, verum

etiam

etiam ad virtutem, ſiue ad vitia propenſionem agnoſcimus. Hoc ipſum poeticis inuentionibus expreſsère poëtæ Virgil. 4. Æneid.

Nec tibi diua parens generis, nec dardanus auctor
Perfide, ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hircanæq. admorunt vbera Tigres.

Horat. carm. Ode 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis
Eſt in iuuencis, eſt in equis Patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Situm quoque regionum, atque locorum magnopere ad id cõducere arbitrâberis; tum quia ſydera in vnã, atque aliam partẽ diuerſo modo influant; tum quia ſoli affectio corpora immutat. hinc Plato in Timęo, & in 5. de legib. tradidit, locorũ differentias plurimũ mortalium cõditioni cõducere. Narrant Plutarchus in Apophthegmatis, & Herodotus in Calliope, Cyrum haud ſuis permiſiſſe Perſis, vt montanam, & aſperam cũ plana, molliq. regione ad incolendum commutarent, vt plantarũ ſemina, ſic hominum mores regionibus ſimiles fieri, ratum. Hinc Plinius lib. 2. cap. 78. qui quarto, & quinto climati ſubſunt mitiores, ac ad diſciplinas capeſſendas, vt puta qui temperatiores incolant plagas, aptiores eſſe arbitratur; non ita qui

ſub zona torrida; vel ſub altero polorum moram trahunt; in his etenim ob frigoris rigorem in illis vero ob ſolis ardorem rudis, & agreſtis reperitur natura, atque ingenium. Alex. ab Alex. lib. 4. dier. genial. cap. 13. longa obſeruatione compertum eſſe dicit, regiones, quæ cæli clementia, & affluenti copia gaudent, ſenſu hebetes, & obtuſa mente plerumque homines gignere, difficiles vero, & agreſtes ſingulari ingenio viros educere, ibi Alex. De ſingularum gentium vitijs, & virtutibus agit. Siculos vafro, & monſtrifero ingenio notat, quos acutos appellauerat Firmicus, quod dixerat Cicero in prima Verr. qui facetos, & ſalium plenos lib. 2. de orator. & in action. 6. in Verrem dixerat. Victus quoque rationem ad morum conformationem maxime cõducere cenſendum erit, conſulas Platonem 2. & 5. de legibus Galen. lib. de cib. bon. & mal. ſucci. Plinium lib. 11. cap. 37. Celium Rhodiginum lib. 3. cap. 13. Horat. lib. 2. ſermon. Satyr. 2.

——— Corpus onuſtum.

Heſternis vitijs, animum quoque prægrauat vnà,

Atque affigit humo diuinæ particulam auræ.

Plutarchus lib. de educ. liber. Pueros multo paſtu,

ſtu, ſtupidioris, & tardioris ingenij euadere refert. Hæc tamen ſydera, progenitores, climatum regionumq. natura, & virtus ratio ingenium melius, vel deterius reddut, quod illud qualitatibus ad id cõuenientibus, vel aduerſantibus, noſtra imbuant corpora; at quia qualitates ipſæ ſenſuum internorum organis receptæ bonitatem, aut defectum immediate (in genere tamen diſponentium cauſarum) tribuunt, ex earundem qualitatum compoſitione de ingenijs iudicare ſolemus. docet Ariſtoteles lib. 2. de part. anim. cap. 4. & Galen. in lib. quod animi mores temperamentũ corporis ſequantur. Propterea Philoſophus in proœm. lib. de anima, omne id ob temperamenti varietatem prouenire. Idemq. lib. 2. de par. anim. cap. 4. varium ſanguinis temperamentum in cauſſa eſſe, inquit, vt multa animalibus, tum mores, tum per ſenſum accidant: hinc animantes exangues meticuloſiores eſſe compertum eſt. Quænam harum qualitatum ſcilicet, ſanguinea, cholerica, phlegmatica, vel melancholica, ad ingenij excellentiam ſit magis idonea, non ſatis inter Philoſophos certum: videtur tamen ijs aſſentiendum, qui temperamentum, ex bilis, & melancholiæ permixtione conſtans ad ſapientiam accõmodatius eſſe profitentur; qui namque eo præditi

Digitized by Google

inueniuntur, ob bilem apprehendunt facile diſcurrunt velociter, motu agiles, & acres ſunt; ob melancholiam vero, animum ab externis euocant, apprehenſis aſſiduè incumbunt; diuq. meditantur, deq. inuentis conſtanter iudicant.

G. Arbitraris forte mores corporis temperamentum ſequi?

O. Apage iſthoc, nunquid animam temperamentum eſſe, vel ex temperamento conſurgere cenſeam? hoc ipſum huius pronuntiati ſectatores habent, vt Galenus qui peculiarem de hac re conſcripſit libellum; falſum quidem, animam eſſe temperamentum, ergo & illud. Galeni fuit error, in quem hæreticorum quoſdam incidiſſe refert Theodoretus in epit. diuin. decret. lib. 5. de homine: erratum quidem, quod ipſe met Galenus lib. 3. de loc affect. cap. 6. in Socrate apud Platonem in Phedone reprehenderat. Anima, quod temperamentũ haud dici valeat, inter alias vnam habeas rationẽ. Animus rationis particeps, perturbationes in appetitu ſenſitiuo inſurgẽtes cohibet, atque moderatur; vt quiſque noſtrum experitur, hoc autẽ minime qualitates præſtant, ab ijs etenĩ, vt à cauſſa diſponente, ac prouocante affectus huiuſmodi oriuntur, eorundemq. intenſione, & remiſſione, variantur. Huic addas aliam: qui etenim

ani-

animam temperamentū dixère, eam eſſe ſubſtantiam inficiantur, at hoc à veritate deuium, ergo & illud: temperamentum namquè nil aliud dixeris, quam primarum qualitatū ſymmetriam, ſiue proportionem. Medici ſit ne relatio, an qualitas inquirunt. Rurſus ſit ne vna tantum, an plures. Auicenna quintam, eamq. ſimplicem qualitatē à primis diuerſam, ex earū tamen actione, atquè perpeſſione ortam arbitratur, complexionē appellat. Alij vero temperamentū ipſaſmet quatuor primas qualitates ad temperiem reductas credunt. Illud tamen certiſſimum, atquè perſpicuum, etſi corporis temperamentum ad varias perturbationes, & paſſiones inclinent, cuiuſque noſtrum tamen eſſe, ducem ſequi rationem, inſurgenteſq. commotiones cohibere, ac ad virtutem, proboſq. mores nos met ipſos componere; cum aliter paſſiones complexioni, ſiue temperamento, aliterq. animæ actribuantur: complexioni namque vtì diſponenti, quantum ad id, quod eſt in paſſionibus materiale, vt feruor ſanguinis, & id genus. Animæ autem tanquam cauſſæ principali, ex parte eius, quod eſt in eiſdem paſſionibus formale: ſicut in ira vindictæ appetitus; in quo deceptum & allucinatū fuiſſe Galenum docet Diu. Thomas lib. 2. contra gent. capit. 63. Mores ideo mores

quia

quia aſſuetudine comparantur, docuit Ariſtoteles lib.2. ad Nicomachum, ideo temperamentum ſequi minime videntur. Rurſus idipſum oppugnat, quod in nobis met ipſis experimur: rationem etenim aduerſus temperamenti propenſionem pugnare ſentimus, & aliquando rationi temperamentum ſubeſſe, atque mores propenſioni aduerſos gigni videmus; in viro continente euenire dignoſcitur: at ſi mores corporis temperamentum ſequerentur, continentiæ, ceteriſq. ſtudioſis habitibus quiſque noſtrum nuntium remittere poſſet: temperamentum etenim haud ſecũ pugnaret, nec ſeipſum ſuperaret. Hinc in viris ſapientibus, mores temperamento aduerſari traditum eſt, vt de Socrate, Stilpone Megarenſe referunt Alexan. Aphrodiſæus; & Cicero in lib. de fato. Addas inſuper opinantium ſententiam, mores ſequi corporis temperamẽtum vniuerſam moralem philoſophiam euertere; tollerentur enim liberæ hominũ prælectiones, ac voluntarium probarum, ſiuè improbarum actionum principium, de quo Ariſtoteles in ethicis, ac fruſtra præmia bonis, pœnas reprobis legũ latores decreuiſsẽt, omnia peſſum irẽt, veritatis principia. Habes propterea omnia philoſophorum, ac ſapientum pronuntiata. Natura ſcilicet virtutes in nobis fieri. Natura duce ad

bonum

bonum ferre. Inſitas à natura ſcintillulas eſſe ad ſtudioſas actiones. Mores ad qualitatum temperamentum efformari, & alia id genus, quæ Stoicam doctrinam redolere videntur, interpretanda eſſe, quatenus diſponant, influant, ac inclinent. Iuxta enim hanc propenſionem vni, vel alteri vitæ generi ſe dicant homines: ſapientes verò prauam propellunt naturam, atque recta ratione, congruenteq. aſſuetudine, propenſiones ad malum ſuperant, atque corrigunt: longe tamen facilius, qui naturæ conſpirationem obtinent, id aſſequi videntur, quam qui reluctantem experiuntur. In hunc ſenſum ad mores conformandos conducere aſtra, temperamentum, victus rationem, progenitores, locorum regionumq. ſitum, arbitraberis, non tanquam ſcilicet cauſſam adæquatam, quod in plantis, & brutis euenire dignoſcitur, ſed tanquam calcaria, & inſtrumenta perturbationes ipſas ab imaginandi, appetendiq. facultate prouenientes mouentia, quæ tamen ſtudio, & aſſuetudine emendari queant: de hac naturæ propenſione dixit Horat. de arte poetica.

Natura nos intus ad omnem
Fortunarum habitum viciat, aut impellit ad
iram,
Aut ad humũ merore graui deducit, & angit,

Alij

Alij aliud vitæ genus placet. Horat. Od. 1. libr. 1.

Sunt, quos curriculo puluerem olympicum
Collegiſſe iuuat: metaq. feruidis
Euitata rotis, palmaq. nobilis
Terrarum dominos euehit ad Deos.

Perſeus Satyr. 5.

Poſt affert animi motus, interprete lingua,
Mille hominum ſpecies, & rerũ diſcolor vſus:
Velle ſuum cuique eſt, nec voto viuitur vno.
Mercibus hic italis mutat ſub ſole recenti
Rugoſum piper, & pallentis grana cumini.
Hic ſatis irriguo mauult turgeſcere ſomno:
Hic campo indulget, hunc alea coquit, illi
In Venerem.

Ex huiuſmodi naturæ principijs, ſiue qualitatum permixtione, virtutes, quas naturales, & inuoluntarias appellant, oriri diiudicabis; cuiuſmodi dixeris docilitatem, memoriam ceteraq. omnia, quæ vna ingenij nomenclatura, duxeris dicenda: hæc corporis temperamentum ſequi valent, virtutes vero propriè dictas, vt Prudentiam. Temperantiam, Fortitudinem, ceteraſq id genus voluntarias, temperamentum non tanquam adæquatam cauſſam, ſed vti inſtrumentum ſequi profiteberis, non tamen neceſſario.

G. Habeo

G. Habeo te; viros natura fieri probos intelligis, quatenus propenſiones quaſdam ad virtutes capeſſendas adiutrices, natura eis impartitur. Omnia profectò dilucide differentem te audiui; vnum tamen tibi reliquum, quo pacto virtutum ſemina in ciuium animis Reip: moderator inſerere valeat.

O. E, prioribus hoc accepiſſe debueras, aperiam tamen clarius, & lumen iam dictis inſeram. Differentem me auſcultaſti, quæ naturalia eſſe, aliqua cura, aut ſtudio, minime comparari poſſe, at ab inſtituto terrendum non eſſe Principem; diiudicabis, cum hæ naturæ conſpirationes neceſſariæ ad virtutes capeſſendas haud cenſendæ, quin & multos optimi temperamenti in Rep: experietur. Addas inſuper (nec putes paradoxũ) aſſuetudine, quam alteram dixeris naturam, naturæ ipſius aberrationes emendari poſſe: ſuis Lacedemonijs oſtendit Lycurgus. Is etenim cũ ſuos ab illecebris ad temperatiorem viuendi rationem traducere maluiſſet, binos catellos, venaticum vnum, domeſticum alterum educari iuſſit, hac tamen victus ratione, vt ille domi lautioribus, & eblanditis cibis, hic vero venationibus aſſueſceret, ambos deinde ad multitu-

dinis conſpectum in foro produxit, ibi delicatiores eſcas in patinis paratas, carnes aſſas veru affixas, & pulpamentum in olla coctum poſuit, ibiq. & leporem emiſſit, ſed cum vterque contra naturam, ad aſſueta raperetur; venaticus nimirum ad fercula, domeſticus leporem fugientem citato curſu inſequeretur, intuentes atquè admirantes, Lycurgus alloquitur: Ciues animaduertite hos canes aſſuetudine ab eorum propria natura, euaſiſſe diſſimiles, atque propterea fatemini, plus ad honeſtatem momenti, ac ponderis habere exercitationem, quam ipſam naturam de qua cecinit Ouidius.

Nihil aſſuetudine maius
Quod male fers aſſueſce, feres, bene multa vetuſtas
Lenit.

Aſt quibus medijs in Rep: id aſſequi Princeps valeat, audies: duobus tantum arbitraberis, Pædia ſcilicet, & cenſura, quarum neglectu omnes in Monarchijs aberrationes. Pædia græci & pueritiam; ſimul & doctrinam innuebant, vnde Xenophon libros, quos de pueritia, atquè Cyri inſtitutione conſcripſit,

pediam

pediam nuncupauit. Hanc temporibus noſtris neglectam, & obſoletam antiqui adeo magnifecère, vt nil intentatum, nil prætermiſſum, ad illam promouendam habuerint, immo rigidiores,quā par fuerat viſi fuère. Lycurgus namque pueros in agris educari iuſſit, vt foro vrbaniſq; illecebris immunes conſeruarentur, primamq; illam pubertatem non in luxu, ſed in opere traducerent; eiſq; nec ad vrbem concedebatur acceſſus, priuſquam viri facti eſſent. Spartanos imitatos Brutios legimus; in ſiluis Brutij apud paſtores pueros vitam agere, curabant, ſine veſte, quam inducerent, quaue cubarent, eo quidem conſilio, vt à teneris annis, laboribus, ac parſimoniæ aſſueſcerent, cibus illis præda venatica, potus aut lac, aut fontium ſimplex latex erat. Hæc quidem nimis agreſtia, nimis dura commendauit Ariſtoteles in ſuis de Rep: libris, inquit ipſe, Conſueſcant prima ætate pueri frigora perferre, quod & valetudini plurimum conducit, & rei etiam militari, de quo Horatius ode 2. lib. 3.

Anguſtam amici pauperiem pati.
Robuſtus acri militia puer

M 2 Con-

Condiſcat, & Parthos feroces
Vexet eques, metuendus haſta,
Vitamq; ſub dio, & trepidis agat
In rebus.

Idem de arte poetica.

Qui ſtudet optatam curſu contingere metã,
Multa tulit fecitq. puer, ſudauit, & alſit.

Achillis de ſua educatione magnifice ſentines, à Statio lib. 5. Achilleidos introducitur.

Quem pigeat ſua facta loqui? tunc ille modeſte.
Inchoat, ambiguus paulũ, propriorq. coacto.
Dicor & in teneris, & adhuc creſcentibus annis
Theſſalus, vt rigido ſenior me monte recepit
Non vllas ex more dapes habuiſſe, nec vllis
Vberibus ſatiaſſe famen, ſed ſpiſſa leonum
Viſcera, ſemianimeſq. libẽs traxiſſe medullas.
Hæc mihi prima Ceres, hæc læti munera Bacchi
Sic dabat ille pater: mox ille per auia ſecum
Luſtra gradu maiore traens, viſiſq. docebat
Arridere feris: nec fracta mentibus vndis
Saxa, nec ad vaſtæ trepidare ſilentia ſiluæ.
Iam ferri properatus amor, durataq. multo

Sole,

Sole, geluq. cutis. tenero nec fluxa cubili
Membra, ſed ingenti ſaxum commune magiſtro.

De priſcis Italis Virgilius 9. Æneid. cecinit.

Durum à ſtirpe genus, natos ad flumina primum
Deferimus, ſæuoq. gelu duramus, & vndis

De Laconibus Seneca cont prim.

Athenæ eloquentia inclytæ habebantur
Thæbæ ſacris, Sparta armis, ideo Euratus amnis hanc circumfluit, quo pueritiam indurat, ad futuræ militiæ patientiam

De Thracibus Sidonius.

Thracum terra tua eſt, Heroum fertilis ora
Excipit hic natos glacies, & matris ab aluo
Arctus infantem molles, nix ciuica durat
Pectore vix alitur quiſquam, ſed ab vbere tractus
Plus potat per vulnus equum, ſic nocte relicto
Virtutem gens tota bibit.

Claudianus in tertium conſulatum Honorij.

Mox vbi firmaſti recto veſtigia greſſu.
Non tibi deſidias molles, nec marcida luxu
Otia, nec ſomnos genitor permiſit inertes.

Sed noua per duros inſtruxit membra labores,
Et cruda teneras exercuit indole vires.
Frigora ſęua pati,grauibus nõ cedere nimbis,
Aeſtiuum tolerare iubar, tranſnare ſonoras
Torrentum furias, aſcenſu vincere montes
Planiciem curſu valles, & concaua ſaltu,
Nec non in clypeo vigiles perducere noctes
In galea portare niues, nunc ſpicula cornu
Tẽdere nunc glandes baleari ſpargere funda

Aiebat Seneca. Educatio, & diſciplina mores facit; & id ſapit vnuſquiſque quod didicit, itaque bona conſuetudo excutere debet,quod mala inſtruxit: benè docet loqui, bene facere. Cicero lib.3. de diuinat. Nullum munus Reip. afferre maius, meliuſq. poſſumus,quam ſi doceamus, atque erudiamus iuuentutem, ijs præſertim moribus, atque temporibus, quibus, ita prolapſa eſt, vt omnium opibus refrenanda, atque coercenda ſit. Plato in Lache. Parentes in primis ad recte educandos filios adhortatur. Dio Caſſius lib.52. refert Mecenatam de inſtruenda Rep. Octauium Auguſtum alloquentem. Hoc quoque per te hortor inſinuas, vt patritij, equeſtriſq. ordinis homines, dum ad-

huc

huc pueritiam agunt, ludos literarios frequentent, adoleſcentes autem facti equos, & arma trăctare diſcant: ad vtrumque doctoribus certò ſtipendio conductis: ita eos ad omnia negotia aptiores habebis. Rurſus Plato in ſua Rep. magiſtratum adoleſcentiæ præfecit peculiarem, qui per exploratores diu, noctuq. per vrbem miſſos, ſingulos ſingulorum adoleſcentum mores, verba, geſtuſq. obſeruarent, eorum tum dicta, tum facta referrent, vt quæ correctione digna viderentur, emendaret, atque corrigeret. Ariſtoteles hanc curam in ſuis libris haud deſpexit, de ea namque lib. 7. cap. 17. & toto lib. 8. politic. egit.

Pędiam ſequitur cenſura, nam quemadmodum illa pueritiam, morumq. inſtitutionem reſpicit, ſic iſta ętatem prouectiorem, morumq. correctionem, & emendationem coniectat: pudoris, atque modeſtiæ in Rep. magiſtros alit, adeo neceſſaria, vt ea ſublata parum alia inuenta proficere videantur. Olim apud Romanos, tantæ exiſtimationis, vt, & ſi Conſules, Prætores, Quæſtores, aliaq. obeuntes munera pœnas irrogarent, ſola tamen cenſoria nota perpetuo probro veluti diuturno ſtigmate inuſta, ſontibus

extitit.

extitit. Cicero ignominiam quaſi nominis notam appellauit lib. 4. de Rep. his verbis. Cenſorium iudicium nihil de nouo affert, niſi ruborem, itaque omnis ea iudicatio verſatur tantũmodo in nomine, animaduerſioq. illa ignominia dicta. Multa quidem Cenſoribus demandata in Rep. Romana: ſed quam oculatus fuerit magiſtratus ille, ex hoc maxime elicies, quod cẽſorio iudicio fuerit animaduerſum in eos, qui per deſidiam, luxuriamue patrimonium prodigerent, quiue auitum agrum male colerent, pecuſq. negligentius paſcerent. De Cenſorum munere ait Plutarchus in Catone. Annos decem Cato poſt conſulatum cenſuram ambiuit, quæ cum omnino magiſtratuum facile princeps ſit, vniuerſæ Reip. ſupremum, & perfectiſſimum locum habet. Hæc cum alias res, tum vero, vt mores, vitaſq. diſcutiat plurimo Imperio, ac poteſtate eſt, vt quæ de nuptijs, de liberorum procreatione, de viuendi ratione, de conuiuijs diligenter inquirat, nullam deniqne omnium cupiditatum, ac inſtitutionum eſſe, quam adoriri, ac indagare non oporteat, & paullo poſt. Ad hoc igitur munus alter patritius, alter verò plebeius deligebatur, quos Cenſores appellabant:

bant: ijs licebat, & integrum erat, è ſenatu eos eiicere, & illis equum adimere, qui flagitioſe, ac intemperanter degerent. Titus Liui. lib. 4. decad. 1. inquit. Sequitur annus haud dubijs Conſulibus M. Geganio Macerno, & T. Opuntio Capitolino quintum conſule. hic annus cenſuræ initium fuit, rei à parua origine ortæ, quæ deinde tanto incremento aucta eſt, vt morum, diſciplinæq. romanæ penes eam regimen, ſenatus: equitumq; centuriæ decoris, dedecoriſq. diſcrimen ſub ditione eius magiſtratus, publicorum ius, priuatorumq; locorum, veſtigalia Populi Romani ſub nutu, atq; arbitrio eſſent. Hoc ſuffulta magiſtratu Romanorum Reſp. Mundi caput, Mundi miraculum, Mundi compẽdium: Arcem nationum, ac Regum. Lumen gentium, eua ſit, de qua Cecinit Martialis

Terrarum Dea, gentiumq. Roma,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.

Claudianus,

Qua nihil in terris complectitur altius æther.
Cuius nec ſpatiũ viſus, nec corda decorem,
Nec laudem vox vlla capit, quæ luce metalli
Æmula vicinis faſtigia conſerit aſtris
Armorum, legumq. parens, quæ fundit in omnes

Impe-

Imperium, primiq. dedit cunabula viris. Liuius lib. 1. hiſtoricis monumentis reliquit, Nulla vnquam Reſp. nec maior, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit. Ammianus Romani Imperij virtutumq. omnium Larem appellat. Dum Pędiam, & cenſuram ſarctam tectã habuère Romani heroes multos habuit Roma; Valerium Coruinum C. Martium, Rutilium, C. Sulpitium, Decios L. Volunnium; Marcum Curium. Iunios, Fabios, Scipiones Camillum Papirium Horatium, & mille ſimiles, quas cum Spreuit ſtatim improbi ſurrepſère mores, luxus, & ambitio, quæ ad internetionem vſque Remp. perduxère. Illud tamen de Romana priſca virtute rerum omnium admirabilius habeas, cuius meminit Liuius lib. 4. decad. 1. Diu inter plebem, & patritios concertatum plebis Canuleio Tribuno cauſſam agente, Populo Romano liberum ſuffragium cõcedendum eſſe, vt quibus voluiſſet conſulatum mandare, potuiſſet, nec plebeio præciſa ſpes videretur, ſi honore ſummo dignus reputaretur; tandem decretum, vt promiſcue de patribus, & de plebe tribuni militum poteſtate cõſulari decernerentur, indictis comitijs duo patritij communi omnium

nium

nium ſuffragio, creati. inquit Liuius. Euentus eorum docuit alios animos in contentione libertatis, dignitatiſq., alios ſecundum depoſita certamina incorrupto iudicio eſſe: Tribunos omnes patritios creauit populus, contentus eo quod ratio habita plebeiorum eſſet. ſubdit illico. Hanc modeſtiam æquitatemq. & altitudinem animi vbi nunc in vno inueneris, quæ tum populi vniuerſi fuit?

G. Magnum Reip. Romanæ encomium.

F I N I S.

AΦ1 1456615

[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google